



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Quæstio VII. De Restitutione in particulari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

est commissum nomine totius Com- lariter .
munitatis , & ut dicitur Capitu-

Q U Æ S T I O VII.

De Restitutione in particulari.

PLuribus articulis quæstionem hanc absolvemus, inquirendo ea omnia, quæ in præmio hujus tractatus innuimus, videlicet Primo, De restitutione facienda propter homicidium. Secundo, propter detractionem. Tertio, propter contumeliam, derisionem, suffurationem, ob judicium temerarium, & ob suspicionem. Quarto, propter secreti violationem. Quinto, propter furtum, & rapinam. Sexto, propter stuprum, & adulterium. Septimo, propter fraudata vectigalia. Octavo, propter simoniam, & usuram. Nono, propter omissionem divini officii: de quibus omnibus, prout vacabit, paucis agendum est.

ARTICULUS I.

De restitutione propter homicidium,
& mutilationem.

- I. Provocatus ad pugnam, si alium occidat, non tenetur quicquam restituere, quamvis nonnihil excesserit. Qui tamen invaditur ab altero, ad restitutionem obligabitur, si notabiliter excedat occidendo invasorem.
- II. Num peccet contra justitiam Clericus, qui potest fugere invasorem, sed non fugit, sed illum occidit cum moderamine debito?
- III. Qui artificem occidit, tenetur etiam lucrum illi cessans ex sua artis exercitio restituere; Sed debetne estimationem laboris detrahere? Debetne quicquam restituere Creditoribus occisi?
- IV. Num pro vita, pro mutilatione, pro cicatrice, pro fama injuste sublata aliquid restituendum sit? Et quid pro vita servi, aut animalis alterius? Quid pro homicidio, quod fecit filius?

V. Qui collocat cadaver occisi ante domum Titii, providens, aut etiam intendens, ut Titius tanquam homicida puniatur, num teneatur ad restitutionem?

VI. Tam ex homicidio casuali, quam ex indirecto, non secus ac ex voluntario oritur obligatio restitutionis, supposita in iis gravi culpa contra justitiam.

VII. Num sit reus homicidii vulnerans graviter Petrum, qui deinde ex Medicorum culpa decedat? Aut qui volens occidere Titium, casu occidat Cajum? Aut qui alium occidit in ebrietate?

VIII. Propter damnum illatum occiso in curatione vulnerum, & ob lucrum, quod illi ante mortem cessavit, facienda est restitutio heredi, & hoc deficiente, pauperibus; Propter damnum vero, quod aliis ex homicidio confurgit, facienda est restitutio solum heredibus necessariis, non aliis.

IX. In quibusnam casibus licitum est homini se ipsum occidere, aut mutilare? Num licite pueri castrantur ad vocem conservandam?

X. Num possit aliquando indirecte innocens occidi? Num Saraceni innocentes occidi possint, ne fiant deinde hostes Christianorum? Num possit dari pharmacum pregnantium cum periculo occidendi foetum animatum?

XI. Quid requiritur, ut licite possimus invasorem occidere in propriam, aut proximi defensionem? Plures theses hac de re proscripserunt recensentur.

I. **C**um homicida peccet contra iustitiam, examinabimus, Quid, & Cuinam teneatur ille restituere propter homicidium? Et deinde, In quo casu licitum sit seipsum, vel alios occidere, aut mutilare?

Quæritur itaque primo, Quid debeat restituere homicida, aut vulnerator?

Respondeo, & dico primo; Qui provocatus ad pugnam alium occidit, non nihil excedendo modum, & moderamen, non tenetur ad ullam restitutionem; Sicuti neque si duo se invicem provocent, & alter alterum occidat: Ita communiter contra Peregrin. apud Bonac. hic. Et ratio est, quia provocatus censetur cedere juri suo.

Dico secundo; Qui invaditur ab altero sine provocatione, si peccet mortaliter occidendo invasorem per hoc, quod notabiliter excedat moderamen inculpatae tutelæ, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia est causa injusta totius damni. Ita Less. dub. 21.: Qui tamen probabile censet prædictum teneri multo minus restituere, quam si ex insidiis, & dolo illum occidisset, qui enim invadit, videtur ex parte amittere jus ad compensationem.

II. Dico tertio; Qui invasus ab altero, sive armis, sive contumeliis, si potest fugere, & malum declinare, non tamen fugit, sed cum debita moderatione se defendit, & alterum oc-

cidit, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia quamvis aliquando non fugiendo peccet contra charitatem, si scilicet sine dispendio honoris fugere poterat; at non peccat contra iustitiam; ergo non tenetur ad restitutionem. Ita Less. dub. 21. contra Navar., qui apud Dian. part. 5. tract. 4. resol. 49. docet, Religiosum, ac Clericum peccare contra iustitiam, ac teneri ad restitutionem, si occidat invasorem, quando potest fugere, eo quod iis fuga non sit ignominiosa, sed gloriosa.

III. Dico quarto. Qui alium injuste aggressus vulneravit, aut occidit, tenetur restituere non solum damnum emergens, seu integras expensas factas in curatione vulneris, sed etiam lucrum cessans, seu totum illud, quod vulneratus consecutus esset ex suo officio, negotiatione, arte, &c., si non fuisset vulneratus, aut occisus. Et ratio est, quia injusta illa actione fuit causa efficax talis damni, & cessationis lucri: Arbitrio tamen boni viri statuendum est, quanti valebat spes lucri cessantis, detractis expensis, juxta regulas, quas tradunt Lug., & Less. cap. 9. dub. 20. Probabile autem est nihil detrahendum esse propter æstimationem laboris, ut docet Less. cap. 9. dub. 19.: Sicut si impedias aliquem a labore unius diei, teneris restituere totum lucrum absque deductione laboris, quia opifex vult laborare, & lucrari, & sæpe lucrum non est majus, quam ipsa æstimatio laboris, ut in artificiiis, quæ multum laboris, & parum industriæ requirunt. Nihilominus probabilius videtur, juxta doctrinam Rebelli apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 53., & part. 5. tract. 4. resol. 53. aliquid detrahi posse arbitrio prudentis, etiam pro æstimatione laboris, quantum scilicet artifex vulneratus libenter dedisset pro redemptione laboris, ut notat hic Bonac. sect. 2.: Ubi cum Molin. etiam docet, quod quia disti-

difficile est ad unguem definire, quid restituendum sit, idcirco expeditissimum consilium est adhibere compositionem, & transactionem cum parte, cui facienda est restitutio, nullam vim, aut metum illi incutiendo, ne quasi coacte consentiat, eo quod non speret alia via debitam satisfactionem fore obtinendam.

Nota tamen, regulariter loquendo, pro expensis funeris nihil restituendum esse, quia illae erant ceteroqui serius, ocyus faciendae, & solum ex occisoris injuria anticipantur.

Dico quinto, restituendum pariter esse omne emolumentum, quod per mortem occisi cessat aliis cum occiso conjunctis, (videlicet uxori, filiis, &c.) puta vitalitios redditus, legata, hereditates. Etenim occisor est causa injusta talis damni, ergo tenetur illud compensare: Quamvis expediat, ut diximus, adhibere transactionem, & compositionem. Docent tamen communius apud Less. cap. 9. dub. 26. non esse faciendam restitutionem creditoribus occisi, aut pauperibus, vel aliis, quos occisus sustentabat. Ratio est, quia per accidens hoc damnum sequitur illis, & in praxi difficilis est sententia opposita.

IV. Dico sexto; praecise pro vita hominis, vel membro injuste ablato, aut pro cicatrice nihil restitui debet. Ita Sor., Sylvest., & alii communius apud Less. dub. 23., quamvis c. 11. dub. 16. n. 97. oppositam sententiam dicat esse probabilem. Ratio est, quia iustitia respicit aequalitatem; atqui vita, & membrum sunt superioris ordinis ad reliqua bona, & supra omne pretium; ergo pro illa compensatio fieri non potest, & consequenter nec debetur restitutio. Minor probatur ex *leg. ult. ff. De his, qui effuderunt*, ubi dicitur, Cicatricum, aut deformitatis nulla fit aestimatio, quia liberum corpus nullam recipit aestimationem.

Neque dicas; pro vita servi, aut bonis occisi facienda est restitutio; ergo multo magis pro vita hominis, quae est pretiosior.

Nam nego consequentiam; Disparitas est, quia vita servi, aut animalis pretio aestimatur, quod ad aequalitatem rependi potest; unde pro istorum vita tantum restituendum, quanti plurimi vendi poterant; & pro eorundem mutilatione, aut cicatrice restituendum, quanti pluris venderentur, si illaesa fuissent: Econtra cicatrix hominis liberi, & a fortiori membrum, & vita, pecunia compensari non potest. Et propter eandem rationem neque tenetur ad restitutionem, qui injuste laedit aliquem in bonis spiritualibus, puta inducendo illum ad peccatum mortale, avocando a religione, detrudendo ad inferos, quamvis majus damnum inferat, quam furando, aut infamando. Demum propter eandem rationem probabiliter docent Less., Filliuc., Lugo, Laym., & alii apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 30., & Tambur. lib. 9. cap. 3. contra Molin., Valent., Sa, Cajet., Sor., & alios, cum, qui in honore, aut fama laesit proximum, si non possit famam, aut honorem restituere, non teneri ad satisfaciendum pecunia, quia fama est in ordine superiori, quam pecunia, nec potest per pecuniam compensari ad aequalitatem, juxta illud Scripturae: *Melius est bonum nomen, quam divitiae multa*: Tenetur tamen infamator pecunia famam sublatam compensare, quando ad id per Judicis sententiam compellitur, ut notat Less. cap. 11. dub. 16.

Dico ultimo; Si occisor moriatur antequam restituerit, quae restituere debebat pro injuria reali, & pro damnis externis ex homicidio consecutis, juxta dicta in conclus. 2., & 3., satisfacere debent haeredes de bonis hereditatis. Ratio est, quia bona defuncti

sancti transeunt ad hæredes cum tali onere: Quare Pater non tenetur quicquam restituere pro homicidio, quod fecit filius, nisi quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia; non enim Pater debet culpam filii lueri, si ejus bona non habet.

V. Quæritur secundo, An similis restitutio facienda sit ex homicidio casuali, aut ex indirecto?

Explico prius terminos; Dicitur homicidium casuale, quod præter intentionem accidit, ut si quis venando occidat pro fera hominem, aut si volens percutere Petrum, Paulum occidat: Potest autem homicidium casuale esse graviter culpabile, & quidem etiam contra justitiam, quando scilicet ex officio, quo quis fungitur, vel ex contractu tenetur periculum proximum mortis præcavere, & ex graviter culpabili negligentia non præcavet. Homicidium vero indirectum habetur, quando quis est causa moralis, ut homicidium a se factum alteri imputetur, & ille proinde occidatur: Verbi gratia, si Petrus indutus vestibus, & armis Pauli, vel in domo, aut agro, aut cum famulis Pauli, occidat Cajum, & Paulus tanquam occisor comprehendatur, & occidatur vel ab hostibus, vel a Republica, in tali casu Petrus dicitur esse homicida directus relate ad Cajum, & homicida indirectus relate ad Paulum, cum fuerit causa moralis, cur homicidium Caji illi imputaretur, & sic occideretur. Si tamen Petrus non sit causa moralis talis imputationis, non peccat contra justitiam relate ad Paulum, sed solum contra charitatem, si præviderit, quod Paulo tale homicidium imputandum esset.

Dubium tamen est apud Doctores; Num si Petrus occidat Cajum, & collocet ejus cadaver ante januam Pauli, ex quo Paulus a Judice capite damnatur, Num, inquam, Petrus sit causa

Pars III.

moralis, an vero solum occasio, seu causa accidentalis istius condemnationis? Sanch. putat esse veram causam moralem, & sic teneri ad restitutionem: Negat Tambur. num. 5., quia ex tali collocatione cadaveris ante januam alterius non sequitur ut plurimum illi imputatio homicidii; potuit enim casu ibi mori, licet alibi vulneratus sit: Quod si quis cadaver occisi inventum ante propriam januam collocet ante januam alterius, non solum prævidendo, sed etiam intendendo, ut illi occisio imputetur, existimo cum Lug. disp. 8. de Justitia sect. 6. num. 74. contra nonnullos ab eo relatos, quod ad restitutionem teneatur; quia id, quod de se non est causa moralis damni, nec connectitur cum damno alterius, ratione talis intentionis saepe connectitur, & est causa illius: Sicut restituens gladium domino furioso prævidendo innocentis occisionem, peccat solum contra charitatem; at si eo animo restituat, ut innocentem occidat, peccat etiam contra justitiam, quatenus ratione talis intentionis est causa moralis homicidii: Sicut etiam si ponam venenum in loco remotissimo, prævidens, quod forte aliquis sit eo interficiendus, non pecco contra justitiam, si periculum sit remotissimum. At si eo animo illud ibi ponam, & de facto aliquis interficiatur, pecco contra justitiam, teneor ad restitutionem, & sum irregularis. Nonne peccat contra castitatem, qui cenat eo animo, ut sequatur pollutio? (immo peccat contra justitiam adversus conjugem, si hic sit conjugatus.) At nullatenus dicitur peccaminosa comestio, ex qua prævidetur per accidens secutura pollutio.

Neque dicas, non peccare contra justitiam Judicem, qui juste aliquem occidit, sed animo iniquo; Nec qui cum moderamine occidit invasorem, quamvis ex odio, & prava intentio-

T ne

ne nocendi; ergo neque in casu nostro. Negatur enim consequentia; Et disparitas est ex eodem Lug., quia in iis casibus licite, & iuste mors illorum procuratur, & solum est malitia in pravo animo, unde solum peccatur contra charitatem; secus vero in casu nostro, in quo secundum se datur obligatio impediendi alterius mortem; unde si eo animo ponuntur, quæ de se possunt causare mortem, licet per accidens, si talis mors intendatur, peccatur contra iustitiam, eo quod causa illa remota mortis conjuncta cum tali animo dicitur esse causa moralis talis homicidii; atque adeo in his tantum casibus, quando mors per accidens secutura non solum prævidetur, sed etiam intenditur, peccatur contra iustitiam: Quicquid in contrarium sentiant apud Lug. laudat. Less. cap. 9. num. 113., Turrian., Navar., & alii.

VI. Respondeo nunc ad quaesitum: Tam ex homicidio casuali, quam ex indirecto culpabili graviter contra iustitiam, eandem restitutionem faciendam esse, ac ex homicidio voluntario. Ita communiter. Et ratio est, quia omnis culpa gravis contra iustitiam fert onus restitutionis; ergo si talis culpa habeatur in homicidio voluntario directo, siue in voluntario indirecto, siue in casuali, idem prorsus onus restitutionis confurgit. Ex quo fit, ut si homicidium sine culpa gravi fiat, puta si ex leviter culpabili negligentia volens occidere feram occidat hominem, aut si homicidium fiat cum culpa gravi, sed non contra iustitiam, puta si Clericus contra præceptum grave Superioris venetur, & venando casu hominem occidat, ad nullam restitutionem teneatur. Sicut etiam qui non est vera causa moralis, ut homicidium alteri imputetur, sed tantum vult, ut alteri imputetur, in quo casu tantum peccaret contra charitatem, ut diximus.

VII. Præterea si Titius graviter vulneravit Petrum, hic tamen ex negligentia medicorum perit, Titius non est reus homicidii, sed vulneris; unde solum damna vulneris tenetur compensare; ut notat Bonac. punct. 2., Less. dub. 15. contra Navar., Avil., Henr.: Esset tamen reus homicidii, si eo loco illum vulneraret, ubi non adiunt Medici, qui possint illum curare, & non steterit per vulneratum, quin curaretur. Supra autem docuimus cum Lug. disp. 8. sect. 7. num. 86., & alibi contra Bonac. hic, & alios, quod quamvis comburens domum Caji, quam putat esse Titii, teneatur ad restitutionem, eo quod erret non circa substantiam actionis, sed solum circa dominium; nihilominus occidens Cajum, quem putabat esse Titium, iuxta nonnullos nec irregularitatem, nec onus restitutionis incurrit, si omnem diligentiam adhibuit, ne alius occideretur; quia scilicet talis actionis substantia, nempe occisio Caji, fuit omnino involuntaria, non secus ac si volens occidere feram, & adhibens omnem diligentiam, ne homo occideretur, hominem tamen occidat; esto peccarit animo interno contra iustitiam adversus Titium, quem occidere volebat; Huic tamen sententiæ non censui astipulandum, cum vere deliquerit in eo occidendo; Et in foro externo hic tanquam homicida cogitur ad restitutionem, ex leg. *Eum qui innocentem §. Si injuria, de injuriis*, quia vel præsumitur malus animus erga Cajum, vel punitur malus animus contra Titium.

Infertur ex dictis, quid dicendum de eo, qui in ebrietate alium occidit, an scilicet ad restitutionem teneatur? Certe non tenetur, quando aut non peccavit inebriando se, aut peccavit solum contra temperantiam; Tenetur vero ad restitutionem, quando peccavit contra iustitiam, seu quando prævi-

prævidens, quod facile poterat in ebrietate alium occidere, voluit se ebrietate non adhibendo cautionem ad homicidium præcavendum; in tali enim casu homicidium dicitur volutum in causa, & imputatur ad culpam cum obligatione restituendi.

VIII. Quæritur tertio, Quibusnam facienda est restitutio pro homicidio?

Respondeo cum Less. dub. 11., Bonac. hic, & aliis, pro homicidio duplicem faciendam esse restitutionem, alteram propter damnum illatum occiso in curatione vulnerum, & ob lucrum, quod illi ante mortem cessavit; Alteram vero propter damnum, quod aliis confurgit ex homicidio. Prima restitutio facienda est hæredi, & si nullus sit hæres, pauperibus, ut profit animæ occisi: Ita communiter apud Tambur. §. 3. num. 9. Secunda restitutio facienda est solum hæredibus necessariis occisi, non vero aliis; quia scilicet illi solum tam stricto vinculo cum occiso sunt conjuncti, ut reputentur una persona cum illo: Dicuntur autem hæredes necessarii, qui non possunt privari in totum hæreditate, ut sunt filii, uxor, Pater, & Mater, ut docent Doctores cum de Testamentis: Illi vero, qui succedunt in hæreditatem ab intestato, sed privari tamen possunt hæreditate, ut sunt fratres, sorores, & alii, dicuntur hæredes non necessarii, & istis nihil restituendum; quia cum non censeantur una persona cum occiso, non dicitur occisus esse læsus in re sua per hoc quod damnum aliquod fratribus obveniat ex homicidio. Ita etiam communiter contra Sanch., & Dian.; Nec restitutio facienda est, ut supra diximus, creditoribus occisi, nec pauperibus, qui ab illo alebantur; nisi tamen occidens haberet animum iis nocendi, ut docent Clavis Regia, & Salon. contra Bonac. hic punct. ult.

IX. Quæritur quarto, In quo casu

licitum est seipsum, vel alios occidere, vel mutilare?

Respondeo, neminem posse seipsum, aut alios directe occidere, vel mutilare, cum homo non sit dominus vitæ, aut membrorum; Sapientiæ enim 16. habetur: *Ipse solus vita, & necis potestatem habet.* Potest tamen aliquis ex præcepto divino seipsum occidere, (ut de Sampson probat D. Th. 2. 2. quæst. 64. art. 4.) aut publica auctoritate ad mortem suam cooperari iis actibus, qui non habent crudelem modum pœnæ, ut est sumptio veneni; cum talis cooperatio, si sit coacta, non sit contra jus naturæ, ut docet Sà, & Bonac. hic contra Less., Salas, Vasq.: Potest etiam ex rationabili causa permittere mortem suam, puta non occidendo in vaforem, quando non potest aliter vitam defendere, modo ipse invasus non sit Reipublicæ utilior: Potest pariter pro amico, pro patria, pro fide vitam exponere periculo; Verbi gratia in naufragio potest quis dare tabulam Patri, vel amico, quamvis ipse non habeat aliam spem evadendi: Potest etiam detentus in carcere non fugere, quamvis sciat esse morte plectendum, si non fugiat: Damnatus ad pereundum fame potest cibum oblatum respuere; Potestque malefactor offerre se Judici plectendum; Nec tenetur aliquis exquisitissimis cibis, aut medicamentis vitam conservare, aut immenso pretio redimere vitam, etiamsi cæteroque occidendus sit: Nec tenetur relinquere patriam, ut ad aerem salubriorem se transferat. Demum ex Less. cap. 9. dub. 6. num. 32. licitum est militibus, & locis navalibus de communi consensu ignem pulveri injicere, & se mari committere, ne ipsi, & navis veniant in Infidelium hostium potestatem; ne scilicet hostis cum publico damno navis potiatur, & ut seipsos, quoad ejus fieri potest, a morte certissime ab hoste

inferenda eripiant; Necnon possunt milites injicere ignem in pulverem ad evertendam turrinam hostilem, etsi certissime momento dissipandi sint; in hoc enim casu non se ipsi interimunt, sed permittunt ob rationabilem causam mortem suam; non secus ac qui se objicit telo, ut corpus Principis salvet: Qua de causa Ambrosius laudat factum Eleazari, & multi dicunt Sampsonem sine spiritus sancti jussione potuisse permittere mortem suam; Sicut potest quis mortem suam permittere serviendo peste infectis, quando impossibile moraliter est mortem evadere.

Circa mutilationem vero dico, nulli licere membrum sibi amputare, cum vita constet ex integritate membrorum; Tunc solum licitum est, quando membri amputatio necessaria est ad salutem totius corporis: Immo in tali casu datur obligatio amputandi, si dolores sint exigui, quia quilibet tenetur vitae suae opitulari remediis ordinariis non valde difficilibus: Non licet tamen membrum amputare ad sedandas tentationes carnis, aut ad peccatum fugiendum; quia non est hoc medium necessarium ad talem finem. Si tamen alia via non suppeteret ad fugandam meretricem sollicitantem ad libidinem, quam particulam linguae mutilare, & in faciem expuere, licitum est, ut de quodam adolescente testatur D. Hieronymus de Vita Pauli.

Dices: Matth. 4. habetur, *Si oculus scandalizat te, erue eum*; ergo licitum est amputare membra ad peccatum fugiendum. Respondeo cum Sot. locum hunc non esse intelligendum de corporali abscissione, sed de spirituali, videlicet de remotione occasionum; Et quod dicitur Matth. 16. *Sunt, qui se castraverunt propter Regnum Caelorum*, non est intelligendum de reali sectione, sed de illis, qui se addixerunt castrati per votum, ut notant August.,

& Chrysof. apud Bonac. hic.

Dubium est; An licitum sit Patrifamilium castrare ad vocem conservandam?

Respondeo communius id negare cum Laym., Tanner., Bonac., Lezan., Dian. part. 6. tract. 8. num. 36., quia nemo est dominus membrorum suorum, & solum ad conservationem vitae rescindi possunt. Pasqualig. tamen decis. 498., & Salon. 2. 2. tom. 1. quaest. 65. id permittunt, si absit periculum vitae; quia videtur esse sufficiens causa talis decisionis, ut possit Eunuchus voce, & cantu Ecclesiae deservire, & ut possit cum honore apud Principes, & cum amplo proventu vitam sustentare; plus enim commodi inde percipit, quam si sit habilis ad generandum.

X. Quæritur quinto, An liceat aliquando occidere innocentem?

Respondeo, nunquam licitum esse directe illum occidere; quia solus Deus, ut diximus, est vitae dominus: Potest tamen aliquando aliquis cooperari indirecte ad mortem innocentis, verbi gratia si Tyrannus minetur urbi excidium, nisi occidatur innocens, certe non potest Respublica illum occidere, potest tamen illi præcipere, ut Tyrannum adeat, & nisi obediat, illum in poenam interficere: Ad eum modum, quo potest præcipere militi, ut in statione sua persistat, etiamsi sit interficiendus. Eodem modo si Princeps sit in extrema necessitate constitutus, nec superat nisi unus panis hominis privati, potest hic cogi ad cedendum panem Principi, etiamsi sit fame moriturus. Possunt etiam in bello justo subverti mania, etiamsi multi innocentes occidendi sint, quando hoc est necessarium ad victoriam; Et qui fugit inimicum, potest fugere per angustum iter, ubi conculcet infantem baptizatum, si aliter non potest evadere, ut docet Less. cap. 9. dub. 9.

con-

contra Petrum Navar.; non tamen si non sit baptizatus, quia præferenda est vita spiritualis alterius vitæ propriæ temporali: Eodem modo si invasus non possit se defendere, nisi occidendo tam invasorem, quam innocentem, quo invasor se protegit tanquam clypeo, ut notat idem Less.

Dices: Si tyrannus minetur urbi excidium, nisi detur sibi virgo ad illam violandam, non potest virgini præcipi, ut tyrannum adeat; ergo neque id præcipi potest innocenti. Respondeo nego consequentiam. Disparitas est, quia virgo non tenetur cum periculo animæ suæ adire tyrannum; e contra innocens tenetur cum periculo vitæ illam in tali casu adire: Quamvis autem Respublica non possit virginem illam cogere, ut tyrannum adeat, potest tamen illam ex urbe excludere, quia non tenetur cum tanto suo incommodo illam defendere.

Rogabis, An liceat pueros Saracenorum, qui in bello iusto capiuntur, aut alios innocentes occidere, ne postquam adoleverint, fiant hostes Christianorum?

Respondeo negative cum Bonac. hic, Victor., Aragon., & aliis; potest enim tali periculo occurri damnando illos triremibus, nemo enim occidi potest pro injuria futura, sed solum pro delicto præterito. Hinc nec licet occidere obsolescentes innocentes, licet qui eos miserunt, non stent promissis.

Rogabis secundo, An possit dari pharmacum prægnanti, quando periculum est, ne moriatur fœtus?

Respondeo cum communi apud Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 20. Less., Bonac. hic, nunquam licere dare pharmacum ordinatum ad abortum; pharmacum tamen ordinatum ad servandam vitam matris, licet mors fœtus nondum animati per accidens secutura sit, dari potest; Eo modo, quo potest dari ægroto medicamentum,

quamvis per accidens secutura sit pollutio, aut ebrietas: Unusquisque enim habet jus servandi vitam per remedia ordinaria, quamvis per accidens sequatur mors alterius; Sitamen fœtus est animatus, aut dubitatur, an sit animatus anima rationali, non potest tale pharmacum adhiberi, quia vitæ matris prævalet bonum spirituale fœtus existentis in extrema necessitate: Quando vero non est spes, quod fœtus edatur vivus, tunc potest adhiberi pharmacum illud, quod sit æque sanativum matris, ac occisivum fœtus, eo quod cesset ratio adducta boni spiritualis. Animatur autem anima rationali masculus die quadragesimo, fœmina octogesimo, ex Aristot. lib. 5. de Anim. cap. 3. & 5.; Et ex Hippocrate masculus aliquando trigesimo die, aliquando autem usque ad quadragesimum quintum, fœmina aliquando trigesimo quinto, aliquando pariter usque ad quadragesimum quintum.

XI. Quæritur sexto, An liceat, & teneamur occidere alios in defensionem nostram, vel proximi?

Respondeo, & dico primo, regulariter loquendo, nunquam nos teneri ad occidendum invasorem. Si enim possumus ex charitate exponere laudabiliter vitam nostram pro aliena, consequenter non tenemur alios occidere ad vitam nostram defendendam; Teneremur solum in aliquo raro casu, videlicet quando invasus est valde utilis Republicæ, vel quando est valde necessarius suæ familiæ, vel quando putat esse in peccato mortali, & timet damnationem æternam, &c.

Dico secundo; licite possumus occidere injustum aggressorem in defensionem vitæ, & membrorum nostrorum. Ratio est, quia vim vi repellere permittitur in omnibus legibus, ut ait Alex. III. in cap. *Si vero, De sententia excommunic.* Debet tamen id fieri, primo cum moderamine inculpatæ

parâ tutelâ, itaut non inferatur invadenti majus damnum, quam sit necesse ad declinandam invasionem, alioquin non esset defensio, sed ultio; secundo, ut invasus probabiliter credat se graviter lædendum, si vim non repellat; non enim possumus inferre grave malum alteri ad declinandum leve malum nostrum. Tertio, ut occisio non fiat neque ante, neque post aggressionem injustam, sed in ipso actu aggressionis; quia jus naturæ solum concedit vim vi repellere, dum actu vis inferatur.

Hinc sequitur primo, ut notat Molin., non esse licitum occidere eum, de quo vehementem suspicionem habemus, quod nobis parer mortem, nisi forte admonitus aut nolit desistere ab iis actionibus, quæ talem suspicionem ingerunt, aut non reddat sufficientem cautionem, qua timor repellatur.

Secundo, neque est licitum prævenire aggressorem propriæ vitæ, antequam inceperit moraliter ipsum actum aggressionis; Unde adultera, quæ mortem sibi a marito timet, non potest illum occidere, si maritus nondum se paravit ad illam occidendam, verbi gratia, aut parando venenum, aut collocando pugionem sub cervicali ad ejus necem, aut mandando illius occisionem Sicario, vel maleficæ, &c.; in hoc enim casu potest illum occidere, antequam injuste occidatur, si non sit alia spes evadendi.

Tertio, non possum occidere illum, qui postquam me percussit, fugit desistendo jam a percussione; hæc enim esset ultio, non defensio; & ideo damnata est ab Innoc. XI. propos. 30. dicens: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum*

fustis fugiat.

Quarto, tunc possunt occidi satellites, quando injuste invadunt innocentem, & ipsis constat eum esse innocentem; si enim bona fide suum munus obeant, non possunt occidi; nam bonum publicum postulat, ut ministris bona fide publicum officium obeantibus injuriâ, aut damnum non inferatur.

Neque dicas, prohiberi in scripturis occisionem in propriam defensionem; Etenim Christus Dominus Matth. 26. Petro volenti se, & ipsum Dominum defendere dixit; *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit*; Et ad Roman. 12. dicitur: *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ*. Nam hæc loca intelligenda sunt de vindicta, aut de defensione non necessaria, aut de aggressionem, ut ait S. August. apud Lessium; Vel important consilium, non præceptum.

Neque dicas secundo; plus tenemur diligere æternam salutem proximi, quam nostram vitam; ergo invadens non potest occidi in defensionem propriæ vitæ, dum est in discrimine mortis æternæ.

Nam antecedens tunc est verum, quando proximus est in extremo discrimine, nec potest se ab illo, nisi mea ope liberare, puta si infans esset moriturus sine baptismo; Non est autem verum, quando proximus libere ponit se in discrimine salutis, & potest se libere ab eo eximere, & ex malitia sua vult in eo versari.

Dico tertio; Omnibus, etiam Clericis, licitum pariter est occidere cum moderamine dicto invasorem suarum facultatum, dummodo sint magni valoris. Ratio est, quia licitum est vim vi repellere non solum a propria vita, sed etiam ab iis, sine quibus commode, aut convenienter sustentari vita non potest, ut habetur in cap. *Dilecto*, De sententia Excommunic.; *Damnata autem*

tem

tem est ab Innoc. XI. propof. 31. dicens, *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*; Molin. tamen, Reginald., & Bonac. hic docent, quod si rem parvam quis furetur, faciendo vim domino, vel custodi, possit occidi, quia in favor non solum aufert rem, sed magnam infert contumeliam, quæ potest per vim repelli; Damnata etiam est ab Alex. VII. propof. 8. dicens: *Licet interficere accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*; Et ab Innoc. XI. damnatur propof. 32. dicens: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*: Nec non 33. dicens: *Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impediendam, ne hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere*; *Sicuti jus habenti in Cathedrali, vel Præbendam contra eorum possessorem injuste impediendam.*

Ex dictis sequitur primo, posse occidi furem, dum fugit, quia tunc censetur aggressio adhuc durare; Si tamen fur se in tutum recepit, & rem incepit quiete possidere, non possum illum occidere, quia non dicitur vim inferre, sed intulisse; unde non esset defensio, sed ultio. Notant tamen Lessl., Regin., Vasq., Bonac. hic probabile esse, quod possit dominus ingredi domum furis, & rem suam in individuo extantem per vim contra furem resistentem recuperare, quando dominus non potest illam ob Reipublicæ perturbationem aliter recuperare. Ratio est, quia hæc non videtur aggressio, sed defensio rei propriæ; nam quamdiu fur retinet rem meam in individuo, videtur res meas invadere. In praxi tamen id est periculosum, & scandalis obvium.

Sequitur secundo, non solum non esse contra justitiam, sed aliquando neque contra charitatem occidere furem invadentem res meas, quas non possum deinde recuperare, nisi magnis molestiis; quia ordo charitatis non obligat ad negligendas res proprias valde conducentes ad corporis, & animi quietem propter proximum non existentem in necessitate.

Dico quarto. A fortiori licitum est occidere in vasorem inferentem injuste ignominiam, quæ aliter vitari nequit; Nam melius est bonum nomen, quam divitia multa, Proverb. 22. Quare potest occidi, qui alapam impingit, aut magnam infert ignominiam; Nec temeretur fugere, quando fuga est ignominiosa, ut notat Molin., & Lessl. apud Bonac. hic: Immo qui alapam accepit, potest speculative loquendo repercutere, & insequi fugientem, quantum satis est ad recuperationem honoris, quando aliter recuperari nequit; hoc enim non est ulcisci, sed honorem defendere; quia dum adversarius fugit, & percussus insequitur, durat congressus, & invasio, ut docent uterque Navar., Rodriq., Bonac. hic contra Lessl., Molin., Azor., contra quos idem Petrus Navar., & Rodriq. docent posse etiam occidi, qui aliquem afficit contumeliis atrocibus sive per verba, sive per signa, quando honor aliter defendi nequit. Communiter tamen docent, doctrinam hanc esse nimis liberam, præsertim quia contumeliæ istæ possunt aliter repelli: Immo si inferantur Clericis, Religiosis, aut personis infimæ notæ, quæ non subeunt ignominiam fugiendo, aut patienter sustinendo, certum est, quod peccent contra justitiam, si occidant: unde ab Alex. VII. damnata est propof. 17. dicens: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit*. Nec laicis ad impediendam in-

fa.

famiam licitum est acceptare duellum, quia hoc non est medium ad id ordinatum, cum potius Trident. sess. 14. cap. 14. decreverit perpetuam infamiam certantibus in duello. Unde damnata est ab Alex. VII. propos. 2. dicens: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Dico quinto, pro defensione pudicitiae licitum est occidere invasorem, si vociferando, aut aliter defendi non potest. Ratio est, quia praestantius bonum est castitas, quam facultates. Molin. tamen notat, posse condonari vitam invasori patiendi violationem sui, si non extat periculum consensus; nam teste D. Lucia, non coinquinatur corpus nisi de consensu mentis.

Dico sexto, Etiam pro defensione vitae, pudicitiae, aut bonorum proximi, possumus invasorem occidere, si ea aliter defendi non possint. Ratio est, quia possumus suscipere partes innocentis; innocens autem hoc loco dicitur, tam qui gratis invaditur, quam qui licet dederit causam invasioni, aut invaserit a principio, tamen deinde vult desistere.

Rogabis primo, tenemurne sic proximum defendere?

Respondeo cum communi Doctorum contra Lessl., nos teneri, quando possumus sine nostro notabili incommodo, quia tenemur ex charitate diligere proximum, & suscipere causam innocentis indigentis nostro auxilio: Verum sicut non tenemur secundum se occidere invasorem ad defendenda bona propria, ita nec tenemur illum occidere ad defendenda bona proximi.

Rogabis secundo: An teneamur defendere proximum, qui non vult defendi?

Respondeo, quod cum invasus non sit dominus suae vitae, non potest illam alteri donare, unde tenemur il-

lius vitam, etiam cum morte invasoris, si opus est, defendere, quando possumus sine notabili incommodo: Contra vero, bona proximi non tenemur, nec possumus defendere, si ipse nolit, cum possit ea donare invasori; Demum possumus, & non tenemur defendere alicujus conjuncti pudicitiam, etiam si ille nolit defendi; quia ipsius injuria redundat in nos; unde possumus illius infamiam a nobis avertere.

ARTICULUS II.

De Restitutione propter detractionem.

- I. *In quo differat detractio a contumelia, susurratione, & derisione?*
- II. *Deiabit directe Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens; Indirecte vero Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.*
- III. *Quanam in detractioe dicatur materia gravis?*
- IV. *Num liceat uni, vel alteri viro prudenti verum crimen alterius manifestare citra mortale? Quod si ab eo deinde aliis manifestetur tale crimen, quid faciendum a primo detractore?*
- V. *Num sit mortale citra asseverantiam referre alterius crimina audita?*
- VI. *Ad vitandum grave damnum innocentis occulta crimina delinquentis detegi possunt.*
- VII. *Num citra mortale possit delictum Petri publicum in uno loco, aut tempore publicari ubi, & quando ignoratur.*
- VIII. *Infamatus in uno genere num possit citra mortale in alio genere infamari?*
- IX. *Regulariter non est mortale seipsum infamare. Nec est de se mortale imponere sibi falsum crimen citra perjurium ad vitanda gravia crimina.*

menta. Verum autem alterius crimen occultum detegere possumus ad vitandum grave damnum. Numquam tamen citra mortale potest grave crimen alteri imponere ad se defendendum.

X. Ad quid tenetur qui audit detrahentem?

XI. Quonam pacto fama restituenda sit, praesertim si famosus libellis sit sublata?

XII. Octo de causis potest quis a restitutione fama excusari, nempe si detur impotentia physica, si moralis, si compensatio, si Condonatio, si crimen sit oblitum, si infamia sublata, si crimen factum est publicum, si detraçtio fuit inefficax.

XIII. Impotens famam restituere non tenetur illam pecunia compensare; quamvis probabiliter possit infamatus clam accipere aliquid ab illo in compensationem.

I. **D**etraçtio est Injusta, & occulta læsio fame, ad distinctionem contumeliæ, & inhonorationis, quæ non fit occulte, sed coram obicitur alteri aliquod crimen, unde Detraçtio tollit famam, seu bonam opinionem apud alios, Contumelia vero tollit honorem, seu reverentiam qua quis testatur, & manifestat verbis, vel signis bonam opinionem, quam habet de alterius virtute, & excellentia. Differt etiam Detraçtio a Sufuratione, & Derisione; nam per Sufurationem non solum læditur fama, sed etiam seminantur discordiæ, seu narratur alterius crimen animo dissolvendi aliquorum amicitiam: per Derisionem vero intenditur, ut proximus, cui detrahitur, pudore suffundatur, vel animo perturbetur. Porro detraçtio alia est formalis, qua quis intendit tollere famam proximi; Alia vero materialis, quæ fit absque intentione auferendi famam; Et utraque

Pars III.

est peccatum mortale; nisi excusetur materiæ parvitas, vel indeliberatio; utraque enim per hoc, quod fit injusta læsio fame, infert notabile damnum proximo. Demum octo modis fieri potest detraçtio, qui duobus illis versibus comprehenduntur.

*Imponens, Augens, Manifestans,
in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet,
laudatque remisse.*

II. Primis quatuor modis tollitur fama directe, videlicet imponendo alteri falsum crimen, amplificando verum crimen, manifestando crimen occultum, & interpretando in sinistram partem factum honestum. Aliis modis tollitur fama indirecte, videlicet negando, aut minuendo recte facta, laudes, & bona alterius, vel reticendo, quando reticentia accipitur pro tacita vituperatione, aut demum laudando frigide, unde id potius cedat in vituperium laudati.

III. Quæritur nunc primo, Quænam sit materia gravis in Detraçtione?

Respondeo esse id, per quod graviter læditur fama proximi; unde quia narrando de milite, quod commiserit duellum, habeat concubinam, &c., de adolescente, quod sit deditus amoribus, ut plurimum non læditur notabiliter istorum fama; Contra tamen quia aliquando dicendo de viro probato, quod sit solitus mentiri, graviter læditur ejus fama: idcirco aliquando non habetur peccatum mortale detraçtionis narrando peccata mortalia alterius, aliquando vero habetur peccatum mortale etiam narrando venialia; Immo etiam defectus naturales animæ, vel corporis; ut si quis vel obiciat alicui, quod sit imprudens, parvi iudicii, nothus, vel natus ex Hebræis, &c., vel aliis id dicat, quando res est occulta, & manifeste fert periculum notabilis contristationis proximo.

IV. Dubium est apud Doctores;

Y An

An sit mortale manifestare uni, vel alteri viro prudenti crimen alterius? Afirmant communius, quia aliquando magis displicet, quod crimen manifestetur uni prudenti, praesertim superiori, quam multis externis. Negant tamen Cajet., Petrus Navar., & Azor. apud Bonac., quia haec videtur secundum se parva detractio, & leve detrimentum in fama.

Neque obstat, quod iudicium temerarium de se sit mortale, quamvis apud solum temere iudicantem laedatur bona existimatio proximi. Nam per iudicium temerarium ex levibus indicis imponitur alteri falsum crimen, & ideo est gravis injuria; Econtra per hanc detractioem manifestatur viro taciturno crimen verum. Unde fit, quod qui refert alteri injuriam sibi factam, probabiliter non peccet mortaliter, si solum manifestet iis, a quibus vel consilium capiat, vel solamen; Durum enim videtur, quod injurias non possimus cum amico prudenti conferre ad dolorem mitigandum, & leniendum. Et ideo communius docent licitum esse manifestare complicem in confessione, quando opus est vel ad integritatem confessionis, vel ad consilium a Confessario capiendum.

Dubitatur secundo, Num qui revelavit crimen alterius Cajo, teneatur non solum restituere famam apud Cajum, sed etiam apud illos, quibus Cajus tale crimen manifestavit?

Respondeo cum communi non teneari, si Cajus habebatur taciturnus, & prudens, quia damnum secutum censetur omnino casuale respectu primi revelantis; Contra vero si revelans sciebat, vel dubitabat, quod Cajus esset aliis illud revelaturus, tenetur etiam apud illos famam restituere; quia sua detractioe censetur causa efficax infamiae apud illos.

V. Quæritur secundo, An sit mor-

tale referre citra asseverationem crimina alterius audita?

Respondeo cum Less., & aliis communiter, tunc solum non esse mortale, quando referens non est tantæ auctoritatis, ut facile credantur ea esse vera, nec audita auget, aut confirmat, nec refert audisse a persona fide digna, nec refert coram iis, qui eadem sint aliis manifestaturi, & exaggeraturi, nec narrat crimina valde enormia, ut hæresim, sodomiam, &c. Nam suspicio, quæ ingeritur de crimine atroci, potest esse peccatum grave. Quando autem omnes istæ conditiones concurrunt, non est peccatum mortale detractioe, & contra justitiam, narrare aliena crimina audita sine asseveratione: Quod si narrentur coram iis, qui ex sua levitate sunt ea credituri, non peccatur contra justitiam, quia talis narratio non est de se læsiva famæ proximi, sed peccatur contra charitatem, eo quod quilibet ex charitate tenetur cavere sine suo incommodo, quantum potest, notabile damnum proximi.

VI. Quæritur tertio, Utrum liceat manifestare alterius crimina ad vitandum damnum notabile proximi?

Respondeo cum communi licere; sicut enim licitum est ea manifestare ob bonum ipsius detractoris, ita a fortiori in bonum Tertii innocentis. Immo tenemur ista manifestare, quando damnum, quod impeditur, est magni momenti, nec potest aliter vitari, & damnum, quod sequitur ex revelatione, non præponderat damno, quod impeditur. Ratio est, quia tenemur consulere bono publico, & bono innocentis, & delinquens non habet jus retinendi famam cum damno gravi alterius. Ex quo sequitur, Advocatum, aut Medicum imperitum, & Pharmacopolam infidelem in pharmacis dandis esse revelandum iis, quibus damnum impendet; Sicut qui no-

vit

vit aliquem esse furem, debet admonere eos, cum quibus habitat, ut sibi caveant: Et capientibus informationem de aliquo, ut ad dignitatem aliquam provehatur, vel ut ineat matrimonium, manifestandi sunt ejus defectus, quando nec per correctionem fraternam, nec aliter damnum impediri potest.

VII. Quæritur quarto, Sitne mortale contra justitiam crimen in uno loco, vel tempore publicum manifestare ubi, vel quando est occultum?

Respondeo cum communi apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 128., & part. 3. tract. 5. resol. 17. negative; tum quia per criminis publicitatem (quæ per notorietatem juris, aut per notorietatem facti, aut per famam publicam habetur,) delinquens amittit jus ad famam; tum etiam quia consuetudine receptum est, ut delicta publica historiis commendentur. Peccari tamen graviter potest contra charitatem, quando scilicet ex manifestatione delicti delinquens graviter contristaretur; nam qui est causa gravis maroris proximi, peccat graviter contra charitatem, ut docent communiter apud Bonac. hic punct. 6. Præterea peccatur contra justitiam, si reveletur crimen præteritum alicujus, ostendendo quod etiam nunc iste sit improbus, quando vere resipuit. Unde historiographi narrantes peccata publica mortuorum tenentur narrare etiam emendationem, si vere resipuerunt.

Fagund. tamen 2. præcept. lib. 5. cap. 3. num. 14. hæc habet: Vera sententia docet, non esse peccatum mortale, neque contra charitatem, neque contra justitiam detegere notorium crimen facti, vel juris (hoc est vel per rumores, & famam publicam, vel per sententiam Judicis,) in alio loco, & regione, ubi ignorabatur, & personis, quæ nihil de illo sciebant;

sive fama illuc brevi, sive post longum tempus, sive nunquam perventura sit: Esse tamen veniale contra charitatem refricere vulnera alterius nemo dubitat; Immo probabilius esse, quod sit mortale, docet Nugnez apud eundem Dian., si id fiat ex levitate, & non ex bona fide.

VIII. Quæritur quinto, An infamatus in uno genere possit citra mortale in alio genere infamari?

Respondeo, si delicta habeant connexionem, non peccari mortaliter, puta si de concubinario dicas, quod miserit literas amatorias, de fure, quod rapuerit aurum: hoc tamen intelligitur, modo non manifestetur crimen atrox, puta, quod expilarit ærarium Regium, quia graviter fama læderetur. Si tamen delicta non habeant connexionem, Sylvest. putat, quod non peccet mortaliter, qui infamatum in delicto graviore unius generis infamet in leviori, aut etiam simili alterius generis, puta si de publico homicida dicas, quod fornicatus sit: Communius tamen docent esse mortale, quia fama, seu bona opinio non consistit in indivisibili, sed constat ex multis partibus, quarum una potest amitti sine alia; Sicut potest aliquis amittere vestem non amisso equo.

IX. Quæritur sexto, An sit mortale seipsum infamare?

Respondeo regulariter non esse mortale, sicut non est mortale secundum se disperdere, aut donare suas facultates; etenim quilibet ita dominus est suæ famæ, sicut est facultatum; nam sicut acquiruntur divitiæ propria industria, ita & fama; ut communiter docent contra Cajet., & Valent.; qui putant, infamantem seipsum peccare mortaliter, quia sicut nemo est dominus suæ vitæ, sic nec suæ famæ. Dixi, regulariter non peccari mortaliter, nam quando infamia redundat in com-
pli-

plicem, in familiam, in Religionem, &c., vel quando est causa scandali, aut periculum, quod injuste delinquens occidatur, procul dubio est mortale. Ex dictis inferitur, ex rationabili causa licitum esse manifestare propria peccata, ut fecit D. Augustinus in suis confessionibus, D. Anselmus, qui suam virginitatem amissam scripsit, D. Ambrosius, qui, ut Episcopatum fugeret, feminas in cubiculum ad se vocatas venire finxit, & alii; Sic etiam licitum est prodigere suas facultates ex causa rationabili.

Rogabis: An sit mortale imponere sibi falsum crimen sine perjurio ad vitanda tormenta gravia?

Respondeo negative, quia nemo tenetur cum tanto cruciatu vitam custodire: Ita Sà, Tolet., Less., Navar., Molin., Regin.; Communiter etiam docent, quod possit quilibet crimen suum occultum manifestare, non solum Judici interroganti iudice, quod est certum, sed etiam injuste interroganti, ad vitanda etiam levia tormenta, quamvis inde mors secutura sit; Etenim cum vere crimen commissum sit, quod meretur mortem, potest illam sibi iudice procurare propter finem honestum.

Rogabis secundo, An peccet mortaliter filius, qui imponit sibi falsum crimen, puta homicidium, ut liberet a morte, vel a tormentis amicum, vel patrem, cui imputatur?

Respondeo, peccare mortaliter, quando Judex iudice procedit; quia per mendacium impedit executionem dignæ mortis, & deludit publicam potestatem; Quando vero Judex non procedit iudice, non videtur peccare mortaliter, dummodo non pejeret: Etenim sæpe licitum est pro amico, vel parente vitam exponere.

Rogabis tertio, An ad vitanda gravia tormenta possis alterius peccatum occultum aperire, præsertim si mors

illi immineat?

Respondeo cum Less. cap. 11. dubi. 7. affirmative; Etenim nemo tenetur cum tanto incommodo famam alterius servare; sicut nec alterius pecunias penes se occultatas. Hinc etiam Doctores docent cum Bonac. hic punct. ultim. ad infringendam auctoritatem infamantis licitum esse ejus occulta crimina pandere; quia nemo tenetur famam alterius servare cum jactura propriæ famæ. Peccat tamen mortaliter, qui falsum crimen alteri imponit, ut suam iustitiam, & honorem defendat, unde merito damnata est ab Innoc. XI. tam propos. 43. quæ habet: *Quidni veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* quam 44. quæ habet: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam, & honorem defendat.*

X. Quæritur septimo, An mortaliter peccet, qui audit detrahentem?

Respondeo, audientem posse audiendo movere detractorem ad detrahendum, & posse tantum in eo delectari, & posse etiam dumtaxat non corrigere. Certum est primo, quod si audiens detractionem aliquo modo moveat ad illam, peccet gravius, quam peccet ipse detractor; peccat enim tum contra iustitiam, quia est causa injusta talis damni, quod a detrahente inferitur, unde ipse etiam ad restitutionem famæ tenetur, tum etiam peccat peccato scandali contra charitatem inducendo detrahentem ad detractionem. Qui tamen sua interrogatione est causa, cur manifestentur aliorum defectus invincibiliter ignorans futuram detractionem gravem, excusatur a culpa, & consequenter a restitutione propter invincibilem ignorantiam. Certum est secundo, quod si audiens nullo modo incitet ad detractionem, sed solum delectetur, non quidem de auditione rei novæ, sed de malo proximi, quod

reful-

resultat ex detractione, peccet mortaliter contra charitatem, non tamen contra iustitiam, si ipse nec sit causa damni, nec teneatur ex officio impedire detractionem, secus vero peccabit contra iustitiam, & ad restitutionem obligabitur. Certum est tertio, quod audiens detractionem, si non corrigat detrahentem, per se loquendo peccet mortaliter contra charitatem; facit enim contra præceptum correctionis fraternæ in re gravi. Excusatur tamen, si res sit publica, aut si non speret correctionem profuturam, aut si timeat sibi grave damnum corrigendo, puta verbera, injurias; aut si habeat rationabilem verecundiam, ut si sit audiens famulus, aut nullius auctoritatis: In his enim casibus debet audiens vel discedere, si commode potest, vel sermone divertere, vel vultum non hilarem, sed tristem præferre, habetur enim Proverb. 25. *Venus aquilo dissipat pluvias, & facies vestis linguam detrahentis.* In dubio autem, an res sit publica, & an detrahens peccet graviter detrahendo, non tenetur audiens illum corrigere, quia præsumere non debet, quod peccet graviter, nisi sufficientes conjecturas habeat in contrarium. Verum qui ex officio tenetur custodire famam subditorum, & detractiones impedire, si non impediatur, peccat etiam contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, ut communiter docent. Putat tamen Rebell. apud Bonac. hic, quod Prælati non peccet contra iustitiam commutativam, nec teneatur ad restitutionem, si non obster subditis detrahentibus, quia ex officio tenetur tantum curare salutem subditorum, non vero conservare famam alienam.

Ubi advertite, quod qui peccat contra iustitiam mortaliter peccato detractionis, sive detrahendo, sive incitando, sive non obstando ex officio,

non solum teneatur restituere famam, & damna, quæ consecuta sunt ex infamia, sed etiam lucrum cessans, videlicet officium, aut beneficium, quod ille propter infamiam non est consecutus; ut constat ex dictis de Restitutione in genere.

XI. Quæritur octavo, Quomodo fama restituenda est?

Respondeo, modum restituendi famam esse huiusmodi; Qui crimen falsum imposuit, tenetur retractare, quod dixit, dicendo se falsum dixisse; immo tenetur addere juramentum, si opus est; Quod si nec juramentum sufficiat ad famam integre restituendam, tenetur ex Less. adhibere testes, & si publice famam abstulit, tenetur publice etiam illam restituere; Non tenetur tamen dicere se mentitum esse, & seipsum infamare, cum satis sit, si testetur, se falsum dixisse: Qui vero non imposuit crimen falsum, sed manifestavit injuste crimen occultum, non potest dicere se falsum dixisse; mentiretur enim, nisi aliquando æquivocaret dicendo, se non dixisse verum, scilicet veritate publica, quæ solum manifestari potest, ut notat Lug. num. 30. Quare solum tenetur sæpius honorare, & laudare infamatum apud eos, coram quibus detraxit. Si tamen probabiliter credatur, quod crimen manifestatum sit oblivioni traditum, quia scilicet multum temporis lapsus est sine ejus mentione, verbi gratia viginti anni, ut notat Azor., tunc non est opus refricare vulnus, nec famam restituere; sicut nec etiam si infamatus bonis actibus famam recuperavit: Ad eum modum, quo fur non tenetur ad restitutionem equi, quando dominus sua industria illum recuperavit. Pariter qui invincibiliter famam alterius sustulit, ubi advertit, tenetur famam resarcire; Sicut qui inculpabiliter domum, aut agrum alicujus incendit, tenetur ex iustitia

fitia impedire, ne damnum ulterius protrahatur, extinguendo ignem quo ad poterit.

Rogabis: Quomodo famam restituat, qui confecit libellos famosos?

Respondetur, eo modo restituendam esse, quo ad æqualitatem restituatur, videlicet vel scriptura publica, vel voce præconis, aut concionatoris, vel alia via, iudicio prudentis, & docti confessoris. Sciendum tamen primo, libellum famosum dici scripturam, vel picturam, vel signum ordinatum ad publicanda crimina infamatoria alterius, ut si quis schedulam, ubi narrantur talia crimina, in loco publico ponat, aut sinat eam cadere in terram in loco publico, aut si quis cornua ad alicujus januam depingat ad significandum conjugem esse adulteram. Quare non dicitur libellus famosus, aut epistola missa ad privatum, in qua narrantur vitia occulta; aut scriptura publica, in qua narrantur vitia publica alicujus.

Sciendum secundo, conficientem libellos famosos jure communi esse excommunicandum; Et in foro externo damnandum esse pœna capitis tam conficientem, quam scribentem, aut edentem, ut notat Molin. tract. 4. disp. 39.

XII. Quæritur ultimo; Quanam sint causæ excusantes a restitutione famæ?

Respondeo esse octo. Prima est impotentia physica; nam ad impossibile nemo tenetur. Secunda est impotentia moralis, puta si quis non possit famam restituere sine periculo vitæ, aut sine jactura longe majori propriæ famæ, aut cum damno notabiliter majori, quam sit damnum illatum, ut diximus de Restitutione in genere. Tertia est compensatio, quæ fieri etiam potest in restitutione famæ, modo ferretur æqualitas. Quarta est condonatio obligationis libere facta, & non in præjudicium alterius. Quinta, si

infamia jam abijt in oblivionem. Sexta, si infamia sublata est bonis actibus infamati, aut proborum virorum testimonio. Septima, si crimen occultum manifestatum jam factum est aliunde publicum, unde ille amiserit jam jus ad famam. Octava, si detraçtio fuit inefficax, vel quia audientes non crediderunt, vel quia similia jam noverant.

XIII. Dubium est, An impotens restituere famam debeat illam pecunia compensare?

Respondeo cum Less. cap. 12. dub. 16., Azor., Navar., Bonac., & aliis contra Sayrum, Sa, & alios, non teneri ex justitia famam pecunia compensare: Etenim, ut supra diximus art. super. quæst. 1., justitia obligat ad restituendum, quod est ablatum, vel aliquid æquivalens; atqui fama ablata non potest restitui in casu nostro, & pecunia non est quid æquivalens famæ; cum hæc sit in ordine superiori, nec sit pretio æstimabilis, juxta illud Ecclesiast. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multa*; ergo non potens restituere famam non tenetur illam pecunia compensare: Sic impotens restituere pecuniam non tenetur orationibus illam compensare; nec qui vi, aut fraude aliquem induxit ad peccatum, aut occidit, tenetur pecunia rependere. Quia tamen opposita sententia ex Less. loc. cit. est satis probabilis, hinc probabiliter potest infamatus debens pecuniam infamatori, illam sibi in compensationem retinere, quantum iudicio prudentis requiritur ad satisfaciendum; & consequenter potest per occultam compensationem pariter sibi satisfacere, ut diximus quæst. super. art. 3. ubi de Compensatione excusante a restitutione, inquirentes, num possit compensatio occulta fieri propter debitum probabile: Quamvis enim id univèrsim non liceat; admittitur tamen probabiliter ob rationem

spe-

specialem compensatio isthac in casu nostro a Less. cap. 12. dub. 25. cum Molin., Ledesm., Dian. part. 2. tract. 5. resol. 30., & in casibus similibus, de quibus diximus quæst. 6. art. 4. Sed ab hac sententia in praxi abstinendum, ut advertit Lug. disp. 16. de Justit. num. 106., eo quod sit periculosa, & contra communioem Doctorum sensum.

ARTICULUS III.

De Restitutione facienda ob contumeliam, derisionem, susurrationem, iudicium temerarium, & suspicionem.

- I. Contumelia de se fert positivam inhonorationem, unde non opponitur Observantia, sed Justitia commutativa, & ex suo genere est mortale.
- II. Compensatur unversim dehonoratione isthac per petitionem veniæ.
- III. Derisio fert dehonorationem cum animo confundendi derisum, & fieri solet verbis irrisoriis: Subsannatio vero fit signis derisoriis. Utraque fert culpam mortalem, si prævidetur derisus graviter contristandus.
- IV. Susurratio ordinatur ad seminandas discordias inter amicos, manifestando eorum defectus; De se est mortalis, & fert onus restitutionis.
- V. Iudicium, & Suspicio temeraria reducuntur ad detractionem tanquam actus internus ad externum: cum inducant malam opinionem, & contemptum proximi, ferunt de se mortalem culpam, & onus restitutionis.
- VI. Facilius a mortali excusatur suspicio, seu opinio temeraria, quam iudicium certum temerarium. Si indicia sint probabilia, opinio non esset temeraria, sed ea nequit sine causa aliis communicari.
- VII. In dubiis regulariter possumus licite assensum suspendere, quin tenea-

mur bene opinari, sed solum tenemur non male opinari de proximo.

- VIII. Si tamen agitur de damno vitando, possumus dubia in deteriorem partem interpretari solum condonate, & sic damnum præcavere.
- IX. Superiores ob indicia dubia possunt aliquali pena subditos punire, eo quod non abstineant a specie mali.

I. **Q**uæritur primo, Quid pro contumelia restituendum sit?

Respondeo, contumeliam esse injuriam, qua alteri objicitur proprius defectus in sua præsentia; non dicitur unversim contumelia omissio quæcumque honoris debiti, quia talis omissio opponitur Observantia; Contumelia vero opponitur Justitiæ commutativæ, & ideo importat positivam inhonorationem: Verum aliquando omissio honoris continet interpretativam, & virtuales contumeliam; ut si transeunte Prælato, subditus non aperiat caput, sed illum torvis oculis aspiciat, aliis asfurgentibus. Contumelia ex suo genere est mortale, ut constat ex illo Christi D. Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus est gehenna ignis.* Verum excusat sæpe a mortali materia parvitas, vel quia invincibiliter ignoratur læsionem gravem inde secuturam, ut solet accidere, quando homines irati dicunt quicquid in buccam venit; cum enim eorum verbis non soleat fides adhiberi, non multum læditur ipsorum honor. Restitutionem faciendam esse pro contumelia, constat ex iis verbis, quæ addit Christus Dominus; *Si ergo offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.*

II. Sufficenter restituitur honor per petitionem veniæ; ad hanc tamen non obligatur, qui potest aliter honorem restituere, videlicet ostendendo extraordinariam benevolentiam, &c. Univer-

versim tamen familiaris conversatio non est indicium, quod qui injuriam accepit, illam remisit, nisi adsint expressa indicia talis remissionis; quia familiaris conversatio potest accidere vel causa indigentia, vel causa scandali vitandi, &c.

III. Queritur secundo de Restitutione ob derisionem, & subsannationem facienda.

Respondeo, per derisionem, ut diximus, violari honorem alterius cum intentione confundendi illum, & inducendi erubescendum: A contumelia differt derisio, quia haec fit joco ad inducendum erubescendum, illa fit serio: Differt a subsannatione, quia derisio solet fieri verbis irrisoriis, subsannatio vero signis derisoriiis, ut naso rugato, &c.

Ex genere derisio est mortale, praesertim si adsit intentio graviter confundendi proximum, vel si manifestetur grave vitium; ut si quis objiciat Petro uxoris adulterium, vel quando praevideatur derisus graviter contristandus; inducitur proinde per illam onus compensandi damnum illatum.

IV. Queritur tertio de restitutione facienda ob Sufurationem.

Respondeo, Sufurationem esse manifestationem defectus proximi ad seminandas discordias inter amicos: Quare Sufuratio vel continet detractionem, si manifestetur crimen occultum in absentia, vel contumeliam, si in praesentia. Ex genere suo est mortale contra iustitiam, & obligat consequenter ad restitutionem: Verum licitum est manifestare alterius vera crimina ad dissolvendam amicitiam perniciosam, verbi gratia concubinariorum; Nec est peccatum dirimere aliquorum amicitiam, ut sibi illa concilietur, dummodo non fiat modis illicitis, ut docet Sotus, Aragon. contra Bannez, Azor., & Salon.; sicut non est peccatum orare aliquem, ut legatum, quod

vult facere Titio, faciat sibi;

V. Queritur quarto de Restitutione propter iudicium temerarium, & suspensionem.

Respondeo, iudicium, & suspensionem temerariam reduci ad detractionem, tanquam actum internum ad externum. Differt autem iudicium a suspitione temeraria, quod iudicium hoc habetur, quando quis ex levibus iudiciis assentitur firmiter malitiae proximi; Suspicio vero, quando ex levibus iudiciis assentitur cum formidine oppositi; vel ex Less. cap. 29. dub. 2., quando ita quis dubitat ex levibus iudiciis, ut inclinet potius ad unam partem, quam ad aliam, & huiusmodi suspicio dicitur etiam Opinio temeraria: Utrumque in materia gravi est peccatum mortale contra iustitiam; tum quia quilibet habet jus, ne grave malum de ipso aut firmiter iudicemus, aut suspicemur, seu opinemur sine sufficientibus iudiciis; unde quilibet existimat sibi gravem injuriam fieri, si gratis credatur improbus; tum etiam quia iudicium, & suspicio temeraria inducunt malam opinionem, & contemptum proximi; tum demum quia sicut eandem malitiam habent voluntas occidendi, & occisio exterior, ita iudicium temerarium, & detraçtio, cum se habeant invicem, sicut actus internus, & externus. Iudicium enim temerarium lædit famam proximi apud se, & detraçtio apud alios; damnium autem quod inferitur proximo per iudicium, & suspensionem temerariam, cum sint actus interni, compensatur per actus internos oppositos, deponendo illos.

VI. Facilius tamen excusatur a mortali suspicio, quam iudicium temerarium, quia per illam non tam graviter læditur fama proximi: Caterum si quis de viro integerrimo suspicaretur hæresim, vel adulterium, &c., procul dubio peccaret mortaliter: Quod si quis

quis ex indiciis valde probabilibus judicet de altero, aut ex indiciis dubiis dubitet, & opinetur rem esse probabilem, certe non peccaret. Non potest tamen aliis communicare suum dubium, aut malam suspensionem, quia bonam proximi opinionem laederet; nisi tamen indicia essent manifesta, & ad bonum finem illud communicaret.

VII. Rogabis: An teneamur dubia interpretari in meliorem partem?

Respondeo regulariter loquendo in dubiis posse nos suspendere iudicium, verbi gratia, si videam Cajum bene comedentem, & dubitem, num comedat ex gula, an vero ex necessitate? non teneor judicare, quod comedat ex necessitate, sed possum suspendere iudicium; etenim proximus non habet jus, ut de ipso bene opinemur, sed solum ne male opinemur, seu ne poenam certam inferamus ob culpam incertam, quod est contra iustitiam.

VIII. Verum si agatur de damno vitando, possumus interpretari dubia in pejorem partem, non iudicando absolute, sed conditionate, & per quandam suppositionem: Verbi gratia, si recipiam in domo hominem ignotum, quamvis non possim judicare illum esse furem, possum tamen custodire res meas, perinde ac si esset fur. Ratio est, quia si licitum est cum damno famæ alterius aperire delictum ad vitandum damnum proprium, vel proximi, a fortiori licitum est ad vitandum damnum interpretari dubia ista in pejorem partem per quandam suppositionem; cum hoc fiat sine detrimento famæ: Cavendum autem est, ne ex hac cautela oriatur aliqua suspicio mala de proximo.

Hinc potest Pater videns adolescentem ante portam remove occationem, ne cum filia colloquatur, perinde ac ille esset fornicarius; quin proinde judicari possit prudenter, quod ille sit fornicarius: Si tamen indicia sint ita dubia, quod ille sit fornicarius,

Pars III.

ut propter talia indicia possit prudenter timeri, quod ad finem fornicandi stet ante portam, debet talis occasio removeri, etiamsi detur sufficiens fundamentum suspicandi, quod ille sit fornicarius, propter rationem adductam. Immo potest etiam Superior ob indicia dubia coarguere, & punire subditos tanquam malos ad cautelam, & emendationem ipsorum, perinde ac si aliquid mali commisissent; etenim quamvis sint forte innocentes, tamen in iis circumstantiis se posuisse, in quibus dubitari prudenter potest de eorum innocentia, reddit illos dignos aliqua poena, ut notant Molin., Sanchez., & alii apud Bonac. quæst. 7.

IX. Et Less. lib. 2. cap. 29. dub. 4. docet, Superiores posse aliquali poena punire subditos ob indicia dubia, quia subditi debent abstinere non solum ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali, ut loquitur Apost. ; Quia tamen forte sunt innocentes, ideo Superior internam astimationem, & affectionem erga tales subditos, quos punit, minuere non debet.

ARTICULUS IV.

De Restitutione facienda ob secreti violationem.

- I. Peccat contra iustitiam commutativam, qui revelat, quæ sub sigillo naturali accepit.
- II. Num sit gravis culpa ea uni, vel alteri viro prudenti revelare?
- III. Violans sigillum naturale tenetur compensare damna, quæ inde sequuntur, etiamsi cum pacto tacito secretum committatur.
- IV. Num, & quando graviter peccet, qui aperit literas sigillo munitas?
- V. Non peccat, qui ad vitanda gravia tormentata secretum revelat; nisi id cedat in damnum publicum, aut ex officio ad sigillum teneatur.

X

VI. Li-

VI. *Licitum est arcana etiam jurata sponte pandere, si illa vergant in grave damnum Communitatis, aut innocentis. Sigillum Sacramentale dumtaxat in nullo casu referari potest.*

I. **C**ertum est, non solum esse contra iustitiam revelare crimina alterius, ut diximus, sed etiam revelare, quod sub sigillo secreti naturalis commissum est; itaut sit peccatum grave, si secretum sit magni momenti, aut si gravis inde oriatur injuria, vel damnum alteri; secus vero sit veniale. Ratio est, quia jure naturæ habet quilibet jus, ut fides sibi data de celando secreto servetur, quando non adest causa justa revelandi.

II. Docet tamen contra communio-rem Azorius, & alii apud Bonac., ut diximus art. 2. num. 4., quod aperiens secretum uni, vel alteri viro prudenti, qui secretum illud celabunt, probabiliter non peccet mortaliter, quia non videtur fieri gravis injuria ei, qui commisit secretum, præsertim si id reveletur ad consilium capiendum, vel ad solamen, & ad dolorem leniendum; dummodo tamen non detegatur illi, cui certo, vel probabiliter credatur, eum, qui secretum commisit, voluisse celari.

III. Queritur nunc primo, Ad quid teneatur qui injuste secretum revelavit?

Respondeo cum communi Doctorum, teneri ad restitutionem damnorum, quæ sequuntur, qui absque justa causa violat secretum cum alterius damno; idque verum est, sive secretum commissum sit cum pacto expresso, ne reveletur, sive cum pacto tacito; ut accidit, quando quis causa petendi consilii, auxilii, vel solatii manifestat rem gravis momenti, verbi gratia Advocato, Medico, vel Confessario. Ratio est manifesta, quia universim qui contra iustitiam commutativam delin-

quit, tenetur compensare damnum injuste illatum.

IV. Queritur secundo, Num peccet mortaliter, & ad restitutionem damnorum teneatur, qui literas sigillo munitas, aut quæ in secreto loco servantur, legit?

Respondeo affirmative, si ille, qui literas clausas mittit, vel aservat, valde cupiat ea, quæ continentur in literis, occulta retineri. Ratio est ex Molin., Sà, & aliis apud Bonac. hic, quia quamvis lectio ista literarum non pariat de se notabile damnum, tamen tantam potest irrogare injuriam, quæ pertingat ad mortale: Si tamen sine periculo gravis injuriæ, vel damni legantur ob curiositatem, non nisi venialiter peccatur: Et si legantur ad præcavendum proprium periculum, quod timeatur, nullum peccatum committitur.

V. Queritur tertio, Num peccet, qui vi tormentorum detegit secretum?

Respondeo negative; siquidem justam habet causam illud detegendi; non tenetur enim celare cum tanto incommodo. Id tamen intelligendum primo, dummodo revelatio non cedat in grave damnum publicum; quilibet enim tenetur mortem subire ad vitandum grave damnum publicum. Secundo, dummodo ex officio publico non teneatur servare secretum; quare etiam cum vitæ periculo habentes officium publicum tenentur reticere ea, quæ in suo concistorio aguntur, dummodo sint res gravis momenti.

VI. Rogabis: Licetne aliquando secretum juratum sponte revelare?

Respondeo cum communi affirmative, quando scilicet vergit in damnum Communitatis, vel innocentis. Ratio est, quia secretum juratum non potest obligare contra charitatem; ex charitate, autem debemus cavere damna Communitatis, & innocentis; ergo secretum, etiamsi juratum sit, revelandum est, si vergat in damnum Communi-

minuitatis, aut innocentis. Solum itaque secretum sacramentale in nullo casu revelandum est; Secretum vero naturale revelari debet in casu dicto, etiamsi committens secretum dicat illud manifestare sub sigillo Confessionis, quando revera non habet animum confitendi, nec recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

ARTICULUS V.

De Restitutione facienda ob furtum, rapinam, necnon ob spiritualia damna alteri illata.

- I. Furtum specie differt a Rapina; hæc enim superaddit furto violentiam, & injuriam personalem.
- II. Excusatur a mortali, qui rem alienam accipit, quando dominus est solum invitus quoad modum, non quoad substantiam.
- III. Ratihabitio de futuro, seu licentia præsumpta excusat a furto, & Religiosum a vitio proprietatis; Sed ea non sufficit ad sacramentaliter absolvendum, aut ad dispensandum.
- IV. Votum paupertatis comparatur cum licentia, tanquam cum conditione; lex vero comparatur cum dispensatione, tanquam cum ejus destruetivo.
- V. Quantitas requisita ad furtum mortale varia est pro varietate Personarum, quæ damnificantur. Aliquando acus a sartore ablati fert damnificationem gravem, esto furtulum istud in ratione furti non sit grave, nec trahat excommunicationem latam contra furantes.
- VI. Num peccet mortaliter, qui post completam materiam notabilem, parum aliquid iterum furatur?
- VII. Num teneatur ad restitutionem sub gravi, qui advertit se per plurima furtula venialia pervenisse ad mate-

riam notabilem, quin sit factus divior?
VIII. Quid si plures modicum quid surripiendo damnum notabile eidem inferant, advertendo dumtaxat, sed non concurrendo ad aliorum furtula? Si adversus istos feratur excommunicatio, quare sub gravi teneantur restituere modicum, quod surripuerunt?

IX. In gravi necessitate differri probabiliter potest restitutio; sed non licet furari, nisi necessitas sit extrema, aut valde gravis, seu extrema affinis.

X. Famuli, alique inservientes non possunt occulte ab Heris suis surripere, quod ipsi judicant deberi ultra salarium, nisi id sit manifestum, & citra controversiam.

XI. Quid possint filii a Parentibus occulte surripere citra mortale tam de bonis Profectitiis, quam de Adventitiis? Etenim Castrensia, seu quasi Castrensia ad filios spectant.

XII. Uxor quandonam mortaliter peccat surripiendo aliquid de bonis mariti, aut de bonis communibus, quæ scilicet percipiuntur de fructibus dotis, & Arrharum?

XIII. Qui sine vi, & fraude induxit aliquem ad culpam, aut retraxit illum ab ingressu in Religionem, peccavit dumtaxat contra charitatem; at peccat contra justitiam, & ad restitutionem damnorum teneatur, si id faciat per vim, aut fraudulenter, aut si quomodocumque inducat alium ad damnificandum.

I. **F**urtum est Ablatio rei alienæ invito rationabiliter domino; Rapina vero est Ablatio rei alienæ per violentiam, sive quia dominus omnino dissentit, sive quia per vim, & metum consentit. Specie differt furtum a rapina, quia diversa est injuria, quæ irrogatur domino, auferendo illi rem suam occulte, ac auferendo per vim.

vim. Ex genere suo utrumque est mortale, nisi excuset parvitas materiae, aut indeliberatio, aut etiam si dominus rei, quam quis furatur, sit solum invitus quoad modum, non quoad substantiam; Verbi gratia, si non ægre ferat, quod res, quæ auferatur, evadat furantis, sed solum ægre ferat rem illam non peti, vel accipi ad ludum; &c.

II. Ex quo fit, quod filius clam accipiens aliquid a Patre, & uxor a marito, amicus ab amico, &c., non peccat mortaliter, quando verosimiliter ob justam causam creditur dominus illud concessurus, si peteretur, quia scilicet dominus in tali casu non censetur invitus quoad substantiam, sed quoad modum. Ita Rebel., Molin., Sa, Navar., & alii apud Bonac. hic quaest. 8. num. 6.

III. Gerunda pag. 145. ex Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. advertit, ratihibitionem hanc de futuro excusare a mortali tam eum, qui sibi aliquid vindicat a domino tantum quoad modum invito, quam Religiosum, qui propter hujusmodi ratihibitionem Superioris aliquid sibi arrogat, (dummodo, ut advertit Lug. disp. 3. de Justitia num. 125. Superior ratione modi, qui displicet, non sit etiam invitus quoad substantiam, seu quoad modum non sit invitus notabiliter) non vero eum, qui sacramentaliter absolveret putans probabiliter, quod Superior jurisdictionem concederet, si peteretur; aut eum, qui duceret conjugineam in quarto gradu credens, quod Pontifex facile dispensaret. Disparitas est, quia in primo casu actio non est absolute prohibita, & contra legem, sed est tantum prohibita, si fiat sine voluntate domini, aut superioris, atque adeo est solum prohibita secundum quid: In secundo vero casu actio est prohibita simpliciter; unde in primo casu tantum requiritur

licentia, in secundo requiritur collatio jurisdictionis, ac dispensatio: Per licentiam autem lex non destruitur, sed sub tali conditione obligat; Per dispensationem vero lex veluti destruitur, unde ad dispensationem, sicut etiam ad conferendam jurisdictionem requiritur ratihabitio de presenti; ad licentiam vero satis est ratihabitio de futuro, seu licentia solum praesumpta, ut constat ex usu, & consuetudine: Et ratio ulterior est ex eodem Lug., quia ad vitandum furtum, & ad vitandam in Religioso transgressionem voti paupertatis sufficit, quod dominus, aut superior non sit invitus; Contra vero ad conferendam Sacerdoti jurisdictionem, & ad dispensandum in lege requiritur positivus consensus Superioris; & ideo sicut declinatur furtum, si dominus non sit invitus, ita declinatur transgressio voti paupertatis, si superior non sit invitus, seu si non ægre ferat rei usurpationem; quod tamen ad valide absolvendum, & ad dispensationem in lege non sufficit.

IV. Constat hoc etiam, quia votum paupertatis comparatur cum licentia, tanquam cum conditione, & circumstantia; nam non sit votum nihil habendi, sed nihil habendi sine licentia: Econtra lex cum dispensatione comparatur tanquam cum destructivo legis prohibentis, ut proinde dispensatio dicatur esse vulnus legis.

V. Queritur nunc primo, Quam quantitas ad furtum mortale requiratur?

Respondeo, illam quantitatem requiri, quæ infert grave damnum, aut privat notabili utilitate. Hæc autem varia est pro varietate personarum, quibus tale damnum irrogatur: Regulariter in personis, quæ vivunt ex redditibus, ut sunt communes divites, probabiliter quatuor regales circiter sunt magna quantitas, quia deserviunt ad comparandum proprium victum tenuem

num unius diei; Dixi circiter, quia aliquis potest pati notabile damnum etiam a tribus regalibus, & aliquis forte nec a quinque; Unde Laym. hic, & Marchant. apud Dian. in summa cum aliis apud Croix putant, universim quantitatem sufficientem ad furtum mortale esse victum unius diei ejus personæ, a qua quis furatur. Quare in personis, quæ se sustentant suo artificio, & opera, sunt probabiliter duo regales circiter, quia isti sunt pretium laboris unius diei, & sufficienti ad comparandum victum pro uno die; In iis vero, qui mendicant, unus dumtaxat regalis, & aliquando dimidius potest esse materia gravis, quia potest iis inservire pro victu unius diei. Unde fit, quod respectu Regis, vel personæ prædivitis duo, vel unus aureus possit esse materia gravis, quatenus sufficienti ad victum iis consentaneum unius diei, aut ad stipendium menstruum unius militis, aut infimi famuli.

Notandum tamen, quod si quis auferat acum, verbi gratia a sartore, ex cujus ablatione Sartor magnum habet damnum, eo quod multos dies ab opere desistat, in tali casu furans acum non peccat mortaliter ratione furti, (etenim furatur materiam secundum se parvam respectu sartoris) sed peccat mortaliter ratione injustæ damnificationis; unde peccat graviter contra iustitiam damnificando, non vero furando: Eodem modo si quis auferat fructum valde charum domino, ex cujus ablatione magnam capit tristitiam, peccat solum mortaliter contra charitatem; Et ideo non incurritur in his casibus excommunicatio, si forte lata sit contra furantes.

Notandum secundo, quod major requiratur quantitas, (videlicet dimidio major ex Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3., & aliquando duplo major) si quis a pluribus aliquid furetur, vel si pluribus vicibus paulatim ab eodem;

Et major quantitas requiritur, si quis paulatim ab eodem aliquid furetur: post longum tempus, quam si post breve, ut patet; quia minus damnum infert sic furando. Pariter major quantitas requiritur in furtis filiorum, & Religiosorum, præsertim circa esculenta, quia domini respectu istorum sunt minus inviti. Unde Sanch. apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 4., & Dian. part. 1. tract. 6. resol. 36. in furtis Religiosorum requirunt quatuor argenteos; & Ledesin. octo, vel novem, si semel, aut bis in anno sumantur, & Monasterium sit locuples: Et Henr. apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 34. permittit uxori, ut possit vigesimam partem reddituum mariti expendere; quod etiam docet Bannez apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3., cui tamen id laxum videtur. Præterea Molin., & Less. apud Laym. hic putant non esse mortale, si filiusfamilias a Patre divite duos, vel tres aureos furetur; Et Sal. docet, filium unicum a patre habente aureos annuos mille, & quingentos posse absque mortali furari viginti, vel triginta quotannis, ut notat Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. num. 3. Et eodem modo Laym. num. 6. ex Sanch., Molin., & aliis docet, quod si quis per temporum intervalla, videlicet per quatuor annorum spatia absque ditescendi proposito furetur vel duos, aut tres aureos a pluribus, vel aureum ab eodem, non videatur devenire ad mortale. Quamvis autem Rebel. apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. §. 1. num. 3. putet magnum reputari intervallum quatuor annorum, Sanch. unius anni, alii sex mensium, alii unius mensis, alii quindecim dierum, tamen regula prudentiæ est melior, spectata quantitate furtuli, & conditione personæ.

VI. Quæritur secundo, An qui sapius furatur minima, peccet mortaliter, & obligetur ad restitutionem?

Re-

Respondeo, certum esse, quod peccet mortaliter in quovis minimo furtulo, si furetur animo perveniendi successively ad materiam notabilem. Secundo, quod teneatur sub mortali ad restitutionem, quando pervenit ad summam notabilem, & oppositum damnatur in prop. 38. ab Innoc. XI., quæ habet: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.* Tertio, quod ultima acceptio non sit mortalis, quando fur non est memor præteritorum furtulorum. Dubitatur solum, an talis acceptio sit mortalis, si fur sit illorum memor? Aliqui apud Sanch. lib. 7. Summæ cap. 21. cum Navar., Graff. negant, quia nunquam ex plurimis venialibus coacervatis pervenitur ad mortale; Sed communius affirmant, quia dum memor præteritorum furtulorum vult furari materiam parvam, quæ cum reliquis facit materiam notabilem, eo ipso habet animum damnificandi notabiliter; ergo peccat lethaliter: Qui enim sciens, quod ex actu suo levi sequitur damnum proximi notabile, vult talem actum facere, peccat mortaliter, puta si quis mentiatur sciens secuturum ex mendacio damnum proximi notabile; ergo etiam in casu nostro. In tali autem casu datur obligatio sub mortali restituendi id, quo restituto damnificatio proximi non remanet gravis; unde si saltem restituatur, quod ex ultimo furtulo sublatum est, non est peccatum mortale, ut docent communiter cum Sanch. contra Medin., & Cordub.

Dubitatur etiam, An si post minimum furtum complens materiam notabilem committatur aliud minimum, iterum peccetur mortaliter? Aliqui apud Rebel. docent peccari solum venialiter: Sed communius cum Sanch., Bonac., quod mortaliter, quia tale furtulum continuatur cum præcedentibus,

dum veluti renovatur voluntas damnificandi proximum notabiliter; Si tamen post ablatam notabilem quantitatem fur doleat de furto, & dum expectat opportunitatem restituendi, committat aliud furtulum, puto cum Bonac., quod peccet venialiter; quia in tali casu quantitas furtulorum non continuatur moraliter.

VII. Dubitatur tertio, Num qui commisit decem furtula nunquam peccando graviter, eo quod non advertit ad præterita furtula, cum quibus ultimum furtulum complevit materiam gravem, teneatur sub gravi ad restitutionem, etiam si res iis furtulis sublata non extet, nec ex iis fur sit factus ditior? Videtur quod non, quia in casu neque tenetur ad restitutionem ex re accepta, ut patet; neque videtur teneri ex injusta acceptione, eo quod ex culpa veniali non oritur obligatio gravis restituendi, ut alias dictum est.

Respondeo, communiter cum Lug., Carden., Tambur., & aliis contra nonnullos apud Moyam tract. 6. disp. 6. quæst. 4. putare, quod in tali casu detur obligatio gravis restituendi, non quidem orta ex culpis venialibus præteritis, sed quia dum fur advertit se per plurima furtula deliberata pervenisse ad notabilem quantitatem, advertit se damnificasse graviter cum plena deliberatione, & eatenus teneri ad refarciendum grave damnum illatum; quod si non refarciat, tunc graviter peccat. Et ratio ulterior ex Lug. est, ut diximus quæst. prima art. 4. num. 6. quia fur furando, verbi gratia quinque singulis vicibus singulos carolenos, singulis vicibus contraxit obligationem restituendi singulos carolenos; quando autem advertit se contraxisse obligationem restituendi quinque carolenos, quæ supponatur materia gravis, tunc advertit se sub gravi teneri ad hanc summam gravem restituendam, & ideo si non restituat,

pecc-

peccat graviter.

Neque dicas, legem justitiæ non imponere pœnam gravem pro culpis venialibus adversus hanc virtutem; & ideo si quis incendat domum alienam cum culpa levi ex semiplena deliberatione, non tenetur damnum hoc grave libere causatum compensare; ergo neque in casu nostro.

Nam contra est, quia in casu nostro non datur ex justitia obligatio restituendi in pœnam culparum venialium, quas fur commisit in singulis quinque furtulis, sed tenetur ex justitia sub gravi compensare damnum grave quinque carolenorum ex vi contractus initi cum damnificato in singulis furtulis compensandi tale damnum, ita ut ad restituendos singulos carolenos solum obligetur sub levi ratione parvitatæ materiæ: Quando autem advertit materiam, quam tenetur restituere, esse gravem, puta quinque carolenorum, tunc vi contractuum præteritorum advertit se sub gravi teneri ad talem restitutionem; Quod non habetur in casu adducto de damnificatione gravi causata cum culpa levi ex semiplena deliberatione.

VIII. Quæritur tertio, An si plures furantes modicum notabiliter damnificent alterum, peccent singuli mortaliter?

Respondeo juxta fufius dicta quæst. pr. art. 4. num. 7. & quæst. 3. art. 6. num. 7. indubitatum esse, quod peccent mortaliter, si constituent unam causam, seu si de communi consensu damnificent, unde in solidum ad restitutionem tenentur; Si vero non de communi consensu, sed quilibet sciat, quod alii etiam ea modica furentur, Sanch. lib. 7. Summæ cap. 21. num. 22. putat, quod non peccent mortaliter; cujus sententiam putat probabilem Tambur. hic, eo quod unus nullo modo est causa furti alterius. Communius tamen docent eos mortaliter

peccare, quia quilibet ut causa partialis sciens, & volens concurrat ad damnum notabile proximi, unde pariter quilibet sub mortali tenetur restituere id, quo restituto tollatur notabilis damnificatio proximi: Et nisi restituant, excommunicationem incurunt, si qua lata est contra damnificantes: Immo si quilibet ignarus aliorum leviter damnificaverit, & feratur excommunicatio contra non restituentes, peccant mortaliter non restituendo, non ratione retentionis illius modicæ quantitatis, sed quia transgrediuntur grave præceptum Ecclesiæ, quod juste imponi potest, quamvis materia restituenda sit levis, eo quod intendatur compensatio gravis damni illati proximo a pluribus, ut diximus quæst. 1. quærendo an pro veniali detur obligatio restituendi. Ita Bonac. hic.

IX. Quæritur quarto, An liceat in gravi necessitate furari?

Respondeo, sententiam affirmativam olim docuisse utrumque Navar., Angel. Sylvest., Sà: Etenim cum dives in tali casu ex lege charitatis teneatur largiri sic egenti, videbatur irrationabiliter invitum, quod sibi clam auferretur, quod opus erat ad tollendam gravem necessitatem, (quam scilicet patiuntur ii, qui non habent necessaria ad statum suum). Verum hæc sententia merito damnata est ab Innoc. XI. propos. 36. quæ habet: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*: Etenim quamvis dives teneatur lege charitatis largiri, at non tenetur lege justitiæ; in debitis autem ex sola justitia licita est occulta compensatio, non vero in debitis charitatis, aut alterius virtutis, unde vere furatur, & peccat, qui invito domino surripit ea, quæ sibi dominus debet ex alia virtute, quam ex justitia: Exempli gratia, si quis veat dare pauperi centum, & nolit votum servare, non proinde licitum est

est pauperi ea furripere: In extrema autem necessitate, (quam scilicet patiuntur ii, qui non habent necessaria ad sustentationem vitæ) quilibet potest aliena furripere, quamvis dominus debeat solum ex charitate ea subministrare; Et ratio est, quia in tali necessitate omnia sunt communia, itaut quilibet habeat jus accipiendi propria auctoritate, quod sibi est necessarium, & sic comparare dominium rei acceptæ, quin possit accipiens impediri a domino; & si impediatur, potest se tueri, & illum cum moderamine occidere, ut notat Less. cap. 12. dub. 12. apud Bonac.; Nisi tamen dominus sit in pari necessitate, etenim tunc melior esset conditio possidentis, ut diximus quæst. super. art. 1. Et ratio radicalis est, quia divisio rerum introducta jure gentium non potest adimere jus naturæ; jure autem naturæ quilibet habet jus utendi rebus ab auctore naturæ positis ad hunc finem, ut possint homines per illas vitam suam conservare; ergo jure naturæ quilibet potest in extrema necessitate usurpare ea, quibus extreme indiget. Lessius putat hunc discursum etiam militare in necessitate valde gravi, verbi gratia morbi, nuditatis; quia hæc videtur esse affinis necessitati extremæ, cum vita isthæc miserrima deterior ipsa morte reputetur; unde possit homo cum Jona cap. 3. dicere: *Melius est mihi mori, quam vivere*; Neque propositio damnata loquitur de necessitate hujusmodi valde gravi, sed solum de gravi necessitate, per quam scilicet quis deberet a suo statu decidere, in qua solum implorari potest officium Judicis Ecclesiastici, ut cogat divites ad largiendum, ut notat Laym. hic num. 8. ex Abbat., Sylvest., & Navar., Potest enim Judex compellere ad largiendum, quod solum ex charitate debetur.

Adde, quod quamvis non liceat in

gravi necessitate furari, probabiliter tamen potest differri restitutio, ut idem Laym. notat lib. 3. tract. 2. cap. 12. ex Less., Navar. contra Riccard., & Medin.: Quod ex illis duabus regulis evincitur. Prima est ex utroque Navar., quod nemo tenetur restituere cum suo detrimento notabiliter majore, quam sit commodum creditoris. Secunda est Scoti, Gabriel., & aliorum, quod quoties creditor rationabiliter contentus esse debet, ut restitutio differatur, potest differri, licet sit inivitus, *argum. cap. Ne quis 22., quæst. 2.*

X. Quæritur quinto, An famuli possint occulte furripere heris suis ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt?

Respondeo, sententiam affirmativam damnatam esse ab Innoc. XI. in propo. 37. quæ habet: *Famuli, & famula domestica possunt occulte Heris suis furripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*; Docuerunt quidem Molin., Less., & alii apud Laym., quod si liquido constet de inæqualitate stipendii, possint uti occulta compensacione: Sicut enim qui necessitate, verbi gratia, coactus minoris justo vendidit mercem, potest in foro conscientie exigere defectum pretii; ita famulus exigere potest defectum stipendii, si ob necessitatem, vel errorem, &c., operam suam minoris justo locavit; Sicut etiam si manifestum sit, quod dominus considerato eorum labore, & consuetudine loci, non præbeat illis victum sufficientem. Verum laudati Doctores docuerunt, quod hoc debeat esse manifestum, nec satis sit, quod ita ipsi judicent; hoc enim jure merito damnatur a Pontifice: Raro autem est id manifestum, nam primo si dominus non indigebat opera famuli, sed rogatus illum conduxit, non potest hic conqueri de pretii exiguitate;

tarē; siquidem merces ultronea vilescunt. Secundo, si multi reperiantur, qui non eadem necessitate coacti, sed libenter cum eodem stipendio intervirent; nam sicut merces vilescunt ex multitudine vendentium, ita operæ ex multitudine locantium. Tertio, quia dominus forte promisit famulo remunerationem, quam deinde daturus est, ut diximus quæst. super., ubi de occulta compensatione.

XI. Queritur sexto; An filii peccent mortaliter peccato furti accipiendo occulte bona Patris?

Respondeo prænotando bona filiorum esse diversi generis, Castrensia, quasi Castrensia, Profectitia, & Adventitia. Primo itaque Castrensia sunt, quæ acquiruntur filio militando, aut quæ ratione militiæ illi traduntur; & ad hæc reducuntur, quæ filius in palatio Regis, vel donatione Regis acquirunt: Et horum bonorum tam dominium, quam ususfructus, & libera administratio pertinet ad filium invito Patre, unde potest de iis donare, & testari, nisi ætas impediatur. Secundo, quasi Castrensia sunt, quæ gaudent privilegio Castrensi, quamvis non acquirantur ex militia; Ea autem sunt, quæ acquiruntur ex officio publico, ut Advocati, Medici, Tabellionis, &c., aut ex professione alicujus ex septem artibus liberalibus, aut Theologiæ, vel Juris Canonici, aut Casarei, &c. Ad hæc reducuntur, quæ Clericus acquirunt ex officio, vel beneficio Ecclesiastico; item alia bona, quæ respectu laicorum sunt adventitia, respectu Clericorum sunt quasi Castrensia, si post clericatum acquisita sint. Tertio, Adventitia bona dicuntur ea, quorum proprietatem habet filius, & Pater ususfructum, & ea sunt, quæ filius acquirunt suo labore, industria, fortuna, vel jure hæreditario, aut a Matre, Avis maternis, consanguineis, amicis, &c., modo non sint bona castrensia.

Pars III.

Quarto demum Profectitia sunt, quorum tam proprietas, quam ususfructus pertinet ad Patrem; Et ea sunt, quæ dantur filio principaliter intuitu Patris. Bona autem, quæ a Patre assignantur filio ad Ordines Sacros, aut filia in dotem, aut causa nuptiarum, sunt profectitia, quatenus computantur in partitione hæreditatis cum fratribus; sed eorum proprietas, & ususfructus pertinet ad filios. In dubiis autem, an aliqua bona sint profectitia, an adventitia, aut Castrensia, judicandum in favorem possidentis, & si neuter possideat, dividatur, ut docet Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Peculium filiorum*. In quibus autem casibus possit filius testari, & in quibus donare causa mortis, aut exponere ludo talia bona, consule eundem Tambur. lib. 5. cap. 4. §. 1. His prænotatis

Dico, filios tunc peccare mortaliter peccato furti, & teneri ad restitutionem, quando accipiunt notabilem quantitatem ex bonis, quorum possessio, vel ususfructus pertinet ad patrem, videlicet de bonis profectitiis, aut etiam adventitiis, non vero de castrensibus, aut quasi. Ita Less. cap. 12. dub. 13., & alii communiter apud Bonac. hic. Ratio est, quia accipiunt rem alienam accipiendo bona non solum profectitia, sed etiam adventitia; etenim ususfructus istorum ad patrem pertinet.

Dubium est, An filius, qui gerit negotia Patris, possit pro sua industria sibi accipere quicquid daretur externo?

Respondeo cum Less., & Bonac. citatis affirmative, (nisi filius intendat id facere gratis) cum non sit deterioris conditionis, quam extraneus, nec teneatur jure naturæ laborare pro patre, quando iste non eget. Tria tamen requiruntur, ut id licite fiat. Primo, ut ususfructum istius lucrari non sibi vindicet filius ante mor-

Y tca

rem patris, cum numeretur inter bona adventitia. Secundo, ut constet Patrem non inventurum alium, qui id faciat gratis, aut minori pretio. Tertio, ut filius saltem tacite ostendat, quod nolit gratis inservire; fortasse enim pater sibi alia via consulat, si id sciat; Quod si præ verecundia nolit id ostendere, debet saltem constare, quod pater non sit sibi alia ratione consulturus.

XII. Quæritur septimo, An uxor peccet accipiendo bona mariti?

Respondeo, peccare, si absque expressio, aut præsumpto consensu accipiat aut bona communia, aut bona, quorum administratio, & ususfructus spectant ad maritum, eo quod rem alienam acciperet invito domino; Quare non peccat, si accipiat paraphernalia, utpote quorum administratio, & ususfructus ad uxorem spectat; Nec peccat, si elargiatur sive ad eleemosynas, sive ad honestas recreationes, quæ elargiri solent aliæ mulieres suæ conditionis; cum non possit circa hæc maritus esse rationaliter invitus: Sicut nec peccat mortaliter, si accipiat aliquid, quod maritus rogatus facile concederet ex præsumpta ejus voluntate. Et Dian. part. 5. tract. 8. resol. 34. cum Bannez, Malder., Ledesm., Granad. putat posse uxorem incio marito in eleemosynas, ac honestos usus sibi decentes disponere citra mortale de vigesima parte proventuum annualium.

Notandum itaque, alia bona esse solius mariti, alia solius uxoris, alia communia. Primo sunt bona communia, quæ conjuges percipiunt ex fructibus dotis, & arrharum, quamvis horum administratio, & ususfructus pertineant ad solum maritum. Secundo, sunt bona tantum mariti, quæcumque maritus possidet, dempta dote, & donatione facta causa nuptiarum, atque adeo sunt ma-

riti, quæ maritus acquisivit hæreditate, aut propria industria, aut labore: Demum sunt bona tantum uxoris tam dos, quam paraphernalia, seu quæ mulier habet alio titulo, quam dotis, puta quæ ipsa acquisivit donatione, hæreditate, aut labore, aut industria extraordinaria, præter laborem, & industriam debitam in administratione domus, juxta qualitatem familiaris, & dignitatem uxoris. Illud tamen interest inter dotem, & paraphernalia, quod dotis administratio, & ususfructus ad maritum pertineat; Econtra paraphernalium ad uxorem.

XIII. Quæritur octavo, Utrum peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem, qui alium inducit ad peccatum, aut retrahit a bono opere, puta ab ingressu in Religionem?

Respondeo cum communi distinguendo: Etenim si id fiat sine vi, aut fraude, non peccatur contra justitiam, & ideo inducens ad culpam, quæ non sit contra justitiam, solum ex charitate tenetur curare, ut ille a peccato, ad quod induxit, resipiscat; si enim unicuique mandatum est de proximo suo, a fortiori tenetur, qui fuit causa peccati, aut abduxit a bono opere; Si vero id fiat per fraudem, aut vim, certe ex justitia tenetur ille non solum fraudem aperire, aut vim tollere, si perseveret, sed etiam precibus, aut alia via curare, ut alter a peccato resipiscat; etenim qui est causa injusta damni, ex justitia tenetur damnum illatum resarcire. Idem dicas de eo, qui falso dogmate circa fidem, vel mores aliquem decipit, quia per falsitatem, & per fraudem illum induxit ad peccatum.

Qui vero alium movet, aut commodocumque inducit ad inferendum grave damnum alteri, procul dubio contra justitiam peccat, & ad restitutionem damni illati obligatur, ut constat ex thesi 39. confixa ab Innoc. XI.

XI. que habet: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum Tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Ex dictis sequitur, quod qui per vim, aut fraudem retraxit aliquem ab ingressu in Religionem, non solum tenetur ex iustitia vim, & fraudem tollere, quod omnes Doctores asserunt, sed etiam tenetur restituere damnum inde secutum, non solum ipsi avocato a Religione, sed etiam Religioni, habita ratione spei, quam habebat utilitatis ex tali viro, necnon periculi, quod ille mutaturus esset voluntatem. Ita Vasq; Molin. contra Sal. Aragon. apud Bonac. hic. Ratio est, quia sicut qui alterum impedit per vim, aut fraudem a consecutione aliqujus beneficii, officii, dignitatis, vel hæreditatis, tenetur ad restitutionem, quanti spes illa valet arbitrio prudentis viri, ita in casu nostro.

ARTICULUS V I.

De Restitutione facienda ob stuprum, & adulterium.

- I. *Ad quid teneatur deflorator Virginis, qua in stuprum sponte consentit? Et quid, si per vim, aut fraudem illam defloravit?*
- II. *Qui Virginem defloravit sicut matrimonium promittendo, tenetur illam ducere, quin satis sit illam dotare, seclusa disparitate inter illos.*
- III. *Adulter ob injuriam personalem marito irrogatam, tenetur petitione venia, aut aliis signis satisfacere. Prolem suam tenetur alere post tertium annum.*
- IV. *Si nobis inter legitimos a Matre supponatur, tenetur adulter compensare damnum, quod legitimi patiuntur.*
- V. *Adultera tenetur compensare damnum,*

quod ex prole illegitima patiuntur legitimi, non non tamen se infamando.

I. **Q**ueritur primo, Ad quid teneatur Stuprator, qui non promisit Virgini matrimonium?

Respondeo, quod si sine vi, aut fraude illam induxit, ad nihil teneatur; nisi forte læsa sit in honore ejus familia. Notandum tamen, quod si sponte Virgo consentit, corruptor Virginis non dicitur stuprum commisisse, sed fornicationem, ut communiter docent contra Cajet. Etenim si illa consentiat, nulli fit injuria; Ubi e contra in adulterio fit injuria ipsi vinculo maritali indissolubili, & ipsi Sacramento, si committatur consentiente uxore, & marito: Si vero per vim, aut fraudem aliquis Virginem defloravit, tenetur vel illam ducere, vel damnum aliter reparare, verbi gratia, constituendo dotem, &c.; etenim damnum cum injuria illatum rependi debet. Notandum tamen, quod si sic deflorata obtinuit deinde commodas nuptias, itaut nihil detrimenti acceperit ex defloratione, nihil ei restitui debeat propter periculum non invenienti commodas nuptias, quia nihil restitui debet pro periculo, quamvis sit pretio æstimabile, quando non sequitur damnum; neque propter deflorationem pudicitia quicquam restituendum, quia hæc non est pretio æstimabilis; sicut nec pretio æstimabile est membrum, quod abscinditur: Quia tamen periculum non invenienti commodas nuptias est pretio æstimabile, ideo si post deflorationem accepit, verbi gratia, centum propter tale periculum, & deinde bene nupsit, itaut nihil incommodi passa sit ex defloratione, non proinde tenetur restituere illa centum. Ratio est, tum quia probabiliter multi sustinent oppositam sententiam, quod scilicet tale periculum

Aut debeatur pecunia compensari; tum etiam quia sicut potest quis pacisci certo pretio de lucro cessante, aut damno emergente, ita ut possit exigere, nedum retinere tale pretium, quamvis deinde nullum lucrum cesset, aut damnum emergat, ita in casu nostro potest quis post deflorationem pacisci certo pretio de periculo, quod subiit, ita ut possit retinere, & exigere tale pretium, quamvis deinde nullum damnum sequatur.

II. Quæritur secundo, Ad quid teneatur corruptor Virginis, qui sicte matrimonium promisit?

Respondeo, ex dictis in de Sponsalibus teneri eam ducere, nec satis esse eam dotare, dummodo non sit disparitas inter illos. Ratio est, quia in omni contractu oneroso tenetur quilibet ex iustitia ponere verum consensum, atque adeo tenetur ex iustitia in casu nostro vere promittere matrimonium, & sic illud ponere; Etenim iustitia obligat ad ponendum idem numero, quod debetur, nec satis est ponere æquivalens invito domino. Quod si sint disparis conditionis, quamvis multi etiam apud Less. cap. 10. dub. 3. doceant, quod teneatur eam ducere, si illa ignorabat hanc disparitatem, nec aliunde suspicabatur fraudem, & deceptionem, probabile tamen est, quod non teneatur, sed possit pecunia damnum resarcire; quia iustitia obligat tantum ad ponendum æquale, & non superexcedens.

III. Quæritur tertio, Ad quid adulter teneatur?

Respondeo, & dico primo, pro mera injuria, quæ fit marito, non tenetur adulter rependere nisi meram satisfactionem per signa doloris, petitionem veniæ, &c. si illam cupiat. Ratio est, quia pro injuria mere personalis nihil est restituendum, ut diximus cum de Contumelia; Siquidem injuria personalis diversi generis est

ab injuria reali.

Dico secundo, Adulter, si partus sequatur, & agnoscat illam esse suam prolem, ita ut non habeat justam, seu probabilem rationem dubitandi, tenetur restituere, quæ impensa sunt in alimentis proli a tertio ætatis anno, & deinceps. Ratio est, quia usque ad tertium annum inclusive tenetur mater alere prolem, ex cap. 2. *De Conversione infidelium*, deinde tenetur pater quousque proles possit sibi de alimentis providere. Non est autem verum, quod aliqui docent, videlicet ad id teneri quodcumque probabiliter credit esse suam prolem, sed requiritur, quod non habeat probabilem, ac solidam rationem in contrarium; etenim communiter Doctores docent neminem teneri solvere, nisi ei constet se debere, ita ut oppositum non sit solide probabile. Quod si solum dubitetur, num ea proles sit mariti, an adulteri, in tali casu videtur, quod stet in possessione delictum, & dubia sit excusatio, unde teneatur adulter prolem alere saltem pro rata dubii. Sed communius apud Tamb. lib. 7. cap. 3. §. 4. docent ad nihil teneri adulterum, nisi certus moraliter sit illam esse suam prolem, quia in tali dubio melior est conditio possidentis: Sicuti si venenum propinem Sorti, qui pariter venenum sibi propinaverat, in dubio num ex meo veneno interierit, ad restitutionem non tenetur, quia non constat de damno a me causato. Contra vero, si dubitetur uter ex duobus adulteris sit pater natæ proli, uterque in solidum tenetur ad restitutionem, cum constet de damno ab iis causato. Non secus ac si duo jacciant suam sagittam in Sortem, & non constet ab utra ex iis sagittis sit confossus, uterque ad restitutionem in solidum obligabitur. Quicquid in contrarium dixerint nonnulli apud Gobat relatum a Croix lib. 3. p. n. 704. IV.

IV. Difficultas est, an si nothus reputetur legitimus, & dividatur inter illum, & legitimos hæreditas, tunc adulter teneatur compensare damnum, quod patiuntur legitimi in diminutione hæreditatis?

Aliqui apud Lefs. lib. 10. dub. 5. negant, quia scilicet adulter non fuit causa, ut a matre supponeretur inter legitimos, nec id intendit, aut consulit: Et confirmatur; si enim mater procuraret sibi abortum, adulter non diceretur causa abortus; ergo si mater supponat nothum inter legitimos, adulter non dicitur causa talis suppositionis, & fraudis; in utroque enim casu damnum sequitur ex perversa voluntate matris suppeditante tantum adultero materiam circa quam, videlicet prolem. Verum communis opinio affirmat. Ratio est, quia per hoc, quod adulter fecerit prolem ex aliena uxore, sufficienter supponit illam marito suo, perinde ac esset sua proles; Neque enim opus est ad suppositionem, ut mater dicat illam esse prolem mariti, sed satis est, ut illa ex ejus utero nascatur, & non sit suspicio adulterii; Unde patet disparitas circa abortum, ad hunc enim requiritur nova actio positiva matris, & ideo huic tantum imputatur.

V. Queritur quarto, Ad quid teneatur Adultera?

Respondeo teneri sine famæ, aut vitæ dispendio curare, ne legitimi hæredes damnum patiantur ex prole illegitima; quare tenetur parapherna, si habeat, relinquere legitimis in compensationem, aut imminuere solitos sumptus, vel labore majori plus lucrari; ac demum si aliter non possit vitare damnum legitimorum, tenetur inducere nothum ad Religionem capeffendam; Non tenetur tamen cum periculo famæ se prodere, ut communiter docent contra Sot., quia fama est superioris ordinis, quam pe-

cunia, & ideo non est exponenda pro rebus ordinis inferioris. Quod si adultera sit suspecta, nec magnum damnum in fama pateretur se prodendo, certe teneretur se prodere, si speraret inde profectum; quod tamen raro accidit, quia filius non tenetur credere matri prodenti suum adulterium, etiam si in articulo mortis id fateatur, cum non teneatur credere foemina infami.

ARTICULUS VII.

De Restitutione facienda ob fraudata vectigalia.

- I. *Lex de solvendis vectigalibus juxta impositis ad Principis sustentationem, & Regni defensionem verius non est pure pœnalis. Quid si imponantur in rebus usualibus?*
- II. *Num detur obligatio solvendi vectigalia, si dubietur negative num juxta imponantur?*
- III. *Etiam exteri tenentur solvere vectigalia juxta.*
- IV. *Num sponte aperienda sint custodibus merces, pro quibus vectigal solvendum est?*
- V. *Custodes non obstantes fraudibus, prout ex justitia tenentur, probabiliter non tenentur ad restitutionem pœna, quam fraudatores vectigalium solvissent, si manifestarentur, licet teneantur compensare damnum, quod domini subeunt.*
- VI. *Ecclesiastici quandonam tenentur vectigalia solvere?*
- VII. *Clerici conjugati, quamvis gaudeant privilegio Canonis, si Virginem duxerint, & gestent habitum, ac tonsuram, non eximuntur tamen a solutione vectigalium: Nec Clerici relate ad bona, qua advehunt ad negotiandum.*
- VIII. *Si custodibus non constet, quod bona sint Ecclesiasticorum, juramento istorum standum est.*

I.

I. **Q**uæritur primo, An fraudans vectigalia iusta teneatur ad restitutionem?

Respondeo, nonnullos apud Less. lib. 2. cap. 32. dub. 8. contra Navar., Angel., Sà, & alios negare; siquidem purant legem vectigalium esse pure poenalem, atque adeo non obligare ante sententiam Iudicis. Communior tamen, & verior sententia affirmat; tum quia Christus Dominus rogatus Matth. 22. *An liceat dare censum Caesari?* respondit, *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo*; tum etiam quia tenetur populus ex iustitia sustentare Regem, a quo defenditur; vectigalia autem imponuntur ad Principis sustentationem; tum demum quia si vectigalia sint iusta, iuste exigantur, ergo debentur; aliter daretur bellum iustum ex utraque parte. Verum Molin., Cajet., Sal., & alii apud Bonac. hic excusant probabiliter fraudantes vectigalia imposita non in rebus, quae ad negotiationem emuntur, sed in usualibus, videlicet in cibo, & vestitu necessario, in pane, carnibus, piscibus, frumento, oleo, &c.; tum quia ita usu videtur receptum; tum etiam quia in iis plus gravantur pauperes, quam divites, ut videre est apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 28., & tract. de Legibus resol. 19.; Et ideo multi docent contra Molin., Suar., & Vasq., quod iniuste exigantur; praesertim si nulla necessitas cogat ponere in iis vectigal, quod posset in aliis rebus ad negotiationem pertinentibus imponi, in quibus parum pauperes gravarentur, ut notat Less. dub. 9.

II. Quæritur secundo, An quando dubitatur, num vectigal sit iustum, detur obligatio illud solvendi?

Respondeo, Navar., Less., Sal., Vasq. apud Bonac. asserere, quod detur obligatio, quando scilicet tale dubium est negativum, quia praesumendum est in

favorem superioris possidentis facultatem praecipendi; Immo etiam in dubio positivo praesumendum esse in favorem Superioris, docuit Less., & alii contra Suar., & Vasq.; quia scilicet ut Princeps iuste exigat vectigal, non debet esse certus speculative, sed practice de ejus iustitia; ergo quamvis detur probabilis ratio, quae suadet iniustitiam talis vectigalis, si tamen detur probabilis ratio de ejus iustitia, potest iuste illud exigere, & sic debetur ex iustitia, aliter daretur bellum iustum ex utraque parte. Verum alii negant dari obligationem solvendi, etiam in dubio negativo, cum Salom., Cajet., Molin. disp. 674., & aliis, quia subditus possidet immunitatem a vectigalibus, & dominium pecuniae suae; in dubio autem melior est conditio possidentis. Ad rationem adductam in contrarium respondent, non posse dari ex parte objecti bellum iustum ex utraque parte, itaut Superior vere habeat jus exigendi, & subditus non habeat debitum solvendi; siquidem jus, & debitum sibi correspondent. Verum per accidens potest ita res apparere, ut Superior possit exigere, & subditus non teneatur solvere; ut accidit, quoties superior sequitur opinionem probabilem faventem sibi, & subditus opinionem oppositam, unde potest dari bellum iustum ex utraque parte tantum secundum apparentiam, & per accidens, non vero per se, & secundum rei veritatem.

III. Quæritur tertio, An etiam exteri peccent, fraudando gabellas?

Respondeo affirmative; tum quia legitima consuetudine id introduci potuit, ut exteri sub ea conditione admittantur ad negotiandum; aliter multi incolae fraudarent gabellas fingendo se extraneos; Tum etiam quia hoc onus compensatur per protectionem, qua mercatores exteri protegentur a

su.

superioribus loci, in quo vectigal exigitur.

IV. Rogabis hic: Num sponte aperiendæ sint custodibus merces, pro quibus vectigal solvendum est, an vero possit expectari, ut vectigal exigatur?

Respondeo, Sot., Tabien., & alios putare, quod non teneamur merces manifestare, sed satis sit expectare, ut exigatur vectigal, modo nulla adfit fraus. Alii tamen cum Salon., Sal., Lesh. putant servandam esse loci consuetudinem.

V. Diximus autem supra cum de Muto, seu de non manifestante damnificationem domino illatam, ex Bonac. disp. 2. quæst. 2. punct. 11., Custodes vectigalium teneri quidem ad restitutionem damni, quod domini patiuntur non manifestando fraudatores; sed probabiliter ex Vasq. contra Navar., & Molin. non tenentur ad restitutionem pœnæ, quam fraudatores solvissent, si accusati fuissent: tum quia id usu est receptum: tum quia non obligantur ad id ex pacto inito Custodes: tum quia talis pœna non debetur ante sententiam Judicis.

VI. Queritur quarto; An etiam Clerici ad solutionem vectigalium teneantur?

Respondeo, imponentes, & exigentes vectigalia a personis Ecclesiasticis incurrere excommunicationem in cap. *Quamquam*, *De Censibus* in 6., & in Bulla Cœnæ, quæ cum quotannis renovetur, omnem consuetudinem in contrarium revocat: Incurritur etiam talis excommunicatio, ut dicemus cum de Censuris in Bulla Cœnæ, si exigantur onera a Clericis sponte dantibus, si scilicet exigantur, seu petantur tanquam a debitore, non vero si simpliciter rogentur, itaut nulla vi, aut metu, aut precum importunitate cogantur: Tunc solum cogi possunt Ecclesiastici a Superiore pariter Eccle-

sastico ad communes aliquas expensas, quando agitur de reparando aliquo damno, quod æque principaliter tangit Clericos, & Laicos; verbi gratia, si agatur de reparando flumine, quod minatur ruinas directe agris Clericorum, & laicorum, vel si agatur de reparanda via penitus destructa prope fundū Clericorū, itaut nequeant Clerici ducere plaustra ad suos agros. Econtra quando agitur de reparando damno, quod principaliter, & directe lædit laicos, & solum indirecte Clericos, in quantum scilicet sunt pars Communitatis; ut si imponatur gabella pro reparatione mœnium, pontium, viarum, &c., Clerici non tenentur, quia cæteroqui nunquam essent exempti a gabellis, cum qualibet gabella imponatur propter bonum Communitatis. Ita communiter apud Bonac., & alios.

VII. Notandum tamen, quod Clericus conjugatus, qui duxit Virginem, & gerit habitum, & tonsuram, solum gaudet privilegio Canonis, non vero exemptione gabellarum; ut ostendit Quarant. V. *Vectigal* contra Tuscum; Nec est exemptus Clericus in rebus, quas negotiationis causa advehit, ex Cap. *Quamquam*. Præterea si Clericus acquirat, vel emat bona affecta aliquo onere, verbi gratia reparandi vias publicas, solvendi censum Principi, &c., tenetur tale onus subire; ea enim de causa rem illam emit minore pretio: Et ratio ulterior est, quia res transit cum onere, ex cap. *Pastoralis*, *de Decimis*, & leg. *Mulier*, ff. *De distractione pignorum*.

VIII. Petes, Quid si non constet exactori, quod res, quæ a Clerico venduntur, aut invehuntur, sint fructus percepti ex agris Clerici, & non ex alieno agro, qui negotiationis causa invehantur?

Respondeo cum Gloss., & aliis relatis a Quarant. apud Bonac., standum esse

esse juramento Clerici, & ipsius nunciorum, nisi aliud suadeant circumstantiae.

ARTICULUS VIII.

De Restitutione ob simoniam facienda.

- I. *Simonia habetur per studiosam voluntatem emendi, vendendi, aut permutandi pretio temporali rem spirituales, aut spirituali annexam, sive pretium sit a manu, sive a lingua, sive ab obsequio.*
- II. *Ad simoniam requiritur pactum saltem implicitum, seu animus obligandi alium ad conferendam rem sacram propter temporalem, aut e contra.*
- III. *Dividitur Simonia in Mentalem, Conventionalem, & Realem. Mentalis autem requirit actionem externam positam animo simoniaco. Simonia Confidentialis in Beneficiis potest esse sive Mentalis, sive Conventionalis, sive Realis. Qualibet istarum est casus reservatus, sed poena Simoniacorum incurruntur solum a Simonia reali in Beneficiis.*
- IV. *Simonia prohibetur tam jure Divino, ac Naturali, quam Humano. Aliqua tamen simonia est solum jure Ecclesiastici, & in hac dumtaxat dari potest materia parvitas.*
- V. *Materia Simonia est res sacra, seu quomodocumque Spiritualis, ac supernaturalis, puta Sacramenta, Reliquia, Beneficia, Prastimonia, Sacramentalia, &c.*
- VI. *Quid de Cappellaniis, de Commendis, de Vicariatu Episcopi, de Rectoriis Hospitalium, de labore in administrandis Sacramentis, & de rebus consecratis?*
- VII. *Quid de alliciente alium rebus temporalibus ad conferendas res spiri-*

uales? *Quid de reportante stipendium propter concionem, aut pro docenda Theologia?*

- VIII. *Quid de transferente jus patronatus sive reale, sive personale propter pretium? Quid de resignante similiter Beneficium? Quid de commutante res spirituales lucrum afferentes?*
- IX. *Quanam Pensio sit materia Simonia? Quanam etiam Resignatio Beneficiorum? Quanam redemptio vexationis licita est in Beneficiis? Quanam etiam transactio inter litigantes?*
- X. *Pro actibus jurisdictionis Ecclesiastica nihil accipi potest. Quomodo pro dispensationibus a Curia Romana aliquid accipitur?*
- XI. *Num Pontifex possit simoniam incurrere etiam juris Ecclesiastici?*
- XII. *Excusaturne a Simonia juris humani, qui illam scienter, & dissimulante Pontifice exercet?*
- XIII. *Sex de causis, seu titulis excusari potest a simonia, qui dat temporale occasione spiritualis; nempe titulo sustentationis, liberalitatis, laboris extrinseci, privationis alicujus lucrari, redemptionis vexationis iniusta, & ratione consuetudinis.*
- XIV. *Qui, verbi gratia, celebrat, si detur stipendium, aliter eo die non celebraturus, non habet pro motivo secundario presse dicto stipendium, sed solum pro motivo excitante, & occasionali; aliter esset simoniacus.*
- XV. *Quanam redemptio iniusta vexationis licita sit?*
- XVI. *Simoniace datur pecunia intercessori immediato ad Beneficium obtinendum. Sed quid si detur intercessori mediato?*
- XVII. *Beneficii collatio facta Titio ignoranti Simoniam ab alio commissam ad tale Beneficium obtinendum est irrita, nisi in fraudem simonia committatur, aut nisi electus resistat. Gaudet tamen hic beneficio triennalis pos-*

possessionis.

XVIII. Quanam censura ferantur in Simoniacos? Quanam actus simoniaci sint invalidi; & quanam restitutionis imponatur?

XIX. Pretium simoniace acceptum dantine, an pauperibus restituendum est?

XX. Pretii hujus restitutio facienda est, etiamsi non detur obligatio ex iustitia ponendi rem sacram, qua venditur.

XXI. Quid si conferens rem sacram privet se in gratiam alterius commodo aliquo sive temporali, sive spirituali?

XXII. Qui rem sacram emit, illam non tenetur restituere, quamvis vendens teneatur restituere pretium, quod pro illa accepit.

XXIII. De Restitutione ob usuram faciendam remissive.

I. **F**use egimus de Simonia in tertio ex Opusculis Theologico-Moralibus, agentes de Beneficiis Ecclesiasticis: Hic ea omnia digna quidem scitu paucis perstringimus, ut innotescat, quanam restitutio ob tale scelus facienda sit.

Queritur primo, Quid sit Simonia?

Respondeo, Simoniam esse *Sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vendendi, seu permutandi pretio temporali rem sacram, seu spiritualem, vel spirituali annexam*. Appellatur autem Simonia a Simone mago, qui Actor. 8. emere volebat Dei donum, seu Spiritum Sanctum. Ita communiter cum Less. lib. 2. disp. 33. Bonac. tract. 2. quaest. 1. & aliis. Explicatur isthac definitio, dicitur esse *Sacrilegium*, quia opponitur virtuti Religionis aestimare res sacras tanquam profanas: Dicitur *Consistens in studiosa voluntate*, tum quia etiam mentaliter committitur Simonia; tum etiam quia

Pars III.

magna ex parte pendet ex intentione operantis, ex Cap. Tua nos, De Simonia; nam si tradens, verbi gratia, pecuniam non det animo emendi rem sacram, sed alio titulo, non committit Simoniam. Dicitur *Emendi*, aut *Vendendi*, &c., quo significatur committi simoniam per quemcumque contractum onerosum, & non gratuitum. Dicitur *Pretio temporali*, nam si detur spirituale pro spirituali, extra materiam Beneficialem, non est Simonia, quae praecise consistit in hoc, quod credantur spiritualia posse pretio temporali compensari. Est autem pretium temporale triplex, scilicet muneris, linguae, & obsequii, seu pretium a manu, a lingua, & ab obsequio; Pretium muneris, seu a manu, est pecunia, equus, vestis, & alia, quae solent vendi: Pretium linguae est laus, vel vituperatio, patrocinium Advocati, commendatio apud Principem: Pretium obsequii dicitur ministerium aliquod in rebus temporalibus, ut est famuli, Aeconomi. Dicitur *Rem sacram, seu spiritualem*, quia res mere temporalis non est materia simoniae: cum Simonia in eo consistat, quod res spiritualis putetur posse pretio aestimari: Dicitur autem res spiritualis non quodcumque est incorporeum, sed quod est aliquo modo supernaturale, ut sunt Virtutes supernaturales, Gratiae gratis datae, Sacramenta, Consecrationes, & omnis usus potestatis supernaturalis. Dicitur demum *Vel spirituali annexam*, seu quae connexionem habeat cum re spirituali; Quod tripliciter accidere potest ex Less. antecedendo, comitando, & consequendo; Antecedit enim, verbi gratia, rem spiritualem Juspatronatus, quia supponitur praesentationi ad Beneficia; item vestes Sacrae, Tempora, Altaria, quippe quae referuntur ad Missam; Comitatur rem spiritualement labor in ministerio Sacramentorum;

Z Con-

Consequitur rem spiritualement Beneficium Ecclesiasticum, quia supponit divinum Officium Sacrum, propter quod datur.

II. Ex quibus sequitur primo, non esse Simoniam vendere doctrinam; quamvis enim sapientia non possit auro aestimari, non tamen in hoc fit ulla irreverentia divino dono, etiam si supernaturaliter collato, cum possit sapientia aliter comparari. Sequitur secundo, in statu purae naturae, in quo nihil supernaturale daretur, impossibile fore Simoniam. Sequitur tertio, esse a labe simoniae immunem, qui dat alicui Beneficium Ecclesiasticum, ne sibi noceat, aut ut sibi saveat, si nullum intercedat pactum, nec intentio illum obligandi: Contra vero committitur Simonia, si intercedat pactum, aut intentio illum obligandi, *sive temporale detur in pretium, sive tanquam motivum conferendi spirituale, sive etiam quando temporale est gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra*, ut dicitur in propof. 45. damnata ab Innoc. XI. Quare, ut notat Less. cap. 31. dub. 20., ad Simoniam requiritur, ut adsit intentio obligandi, & quoddam tacitum pactum, quia hoc est pecunia possidere Spiritum Sanctum, quod volebat Simon Magus; Idcirco dare temporale non tanquam pretium, sed ut motivum, per quod intendas alium obligare ad dandum spirituale, procul dubio est Simonia: Contra tamen si des temporale omnino gratis, quamvis ab illo speres aliquod spirituale. Sicut neque est simonia, si in eas pactum de danda sustentatione congrua Sacerdoti pro Missa, pro Litanis, &c., quia est debita jure naturali sustentatio laboranti, ut infra dicemus. Est pariter Simonia, si des temporale in gratuitam compensationem pro spirituali, putando quod possit compensari, seu aequè pensari temporale cum spirituali, seu obligatio or-

ta ex dono temporali cum collatione doni spiritualis; Sed non est Simonia inservire Episcopo, non quidem animo obligandi, ut tibi conferat Beneficium, sed animo ostendendi idoneitatem ad inserviendum Ecclesiae, a qua Episcopus moveatur ad conferendum tibi gratis Beneficium; In quo tamen casu Episcopus esset simoniacus, si Beneficium conferret in gratuitam compensationem pro servitio sibi praestito.

III. Queritur secundo, Quotuplex sit Simonia?

Respondeo, esse triplicem, Mentalem, Conventionalem, & Realem. Simonia mentalis non est intelligenda, quae solum mente concipitur sine actu externo; quia Simonia, quae subjacet poenis Ecclesiasticis, non potest in solo actu interno consistere, cum Ecclesia non judicet de internis; Et saltem de facto non reservat peccata mere interna, quamvis juxta sententiam Vasq. possit ea reservare; Sicut potest dispensare vota interna: Quare pro Simonia mentali venit actio externa, quae fit animo simoniaco, quamvis ipsa secundum se labem Simoniae non praeferat; ut si Sacerdos accipiat elemosynam, quae datur pro missa, tanquam pretium missae; vel si quis ad Chorum accedat intendens distributiones accipere, non tanquam sustentationem celebrantis, & canentis, sed tanquam pretium celebrationis, & Divini Officii, nullo de hoc dato externo signo; Ad eum modum, quo dicitur Sacrilegium mentale committere, qui expuit in Ecclesia animo illam contemnendi, quamvis non prodat sacrilegam hanc intentionem. Quod si quis per actionem spiritualement principaliter intendat commodum temporale, verbi gratia celebret principaliter propter stipendium, secus non celebraturus, aut e contra per actionem temporalem intendat principaliter aliquid

quid spirituale, ut qui Episcopo infer-
vit principaliter ad obtinendum Bene-
ficio, Simoniam mentalem commit-
teret, quia dum dat spirituale princi-
paliter propter temporale, videtur vel-
le unum cum alio commutare, & ma-
gis aestimare temporale, quam spiri-
tuale, nam Propter quod unumquod-
que tale est, & illud magis.

Si tamen quis primario celebraret
intendendo cultum Divinum, & se-
cundario, ac occasionaliter stipendi-
um, Simoniam non committeret, esto
verum sit, quod si hic non haberet
stipendium, a celebratione missa ab-
stineret.

Simoniam Conventionalis consistit in
pacto, seu conventionem expressa, vel
tacita commutandi spirituale cum tem-
porali. Demum realis Simoniam habe-
tur per hoc, quod de facto tra-
datur, vel accipiat res spiritualis pro
temporali, aut e contra.

Rogabis primo, Ad quod genus Si-
moniam reducatur Simoniam Confiden-
tialis in Beneficiis, seu Confidentialis
beneficialis?

Respondeo, aliquando reduci ad
Mentalem, aliquando ad Conventio-
nalem, aliquando ad Realem. Est enim
Simoniam Confidentialis mentalis
resignare, verbi gratia, beneficium in-
tentione obligandi alterum ad solven-
dos fructus, aut pecuniam, sed non
manifestando illi suam intentionem.
Est vero Conventionalis, si pactum
in eas resignandi Beneficium, vel con-
ferendi, vel aliquem presentandi, aut
instituti ad hoc, ut Beneficium tibi,
vel alteri restituatur, vel ut sibi, vel
alteri pars fructuum tradatur: Est de-
mum Realis, si Beneficium re ipsa re-
nunciatur, vel conferatur cum tali pa-
cto. Verum ad incurrendas penas
latas a Pio IV., & a Pio V. contra com-
mittentes Simoniam confidentialem in
Beneficiis requiritur ipsa realis receptio
Beneficii in confidentiam: Hæc autem

quatuor modis contingere potest:
Primo, si recipiatur Beneficium ab al-
tero, qui illud resignet cum spe, &
confidentia, quod recipiens Benefici-
um illud postea dimittat, vel solvat
fructus in favorem resignantis, aut al-
terius, quem resignans destinaverit;
Nec est necesse, quod tale pactum
sit expressum, sed satis est, si resi-
gnans cum hac spe resignet, & resi-
gnatarius advertat talem animum resi-
gnantis, etiamsi ipse talem animum
non habeat; quia sic censetur tacite
in illum animum consentire, & Simo-
niam committere, non quidem dire-
cte, sed indirecte, quatenus ad illam
concurreret; Quicquid sit, an hic ex-
communicationem tunc incurreret?
quod discutit Suarius disp. 22. de Cen-
suris sect. 6. n. 18. Secundo, com-
mittitur Simoniam confidentialis in Be-
neficiis, si quis conferat Beneficium
alteri sub dicta spe, & confidentia,
quæ scilicet implicitum pactum conti-
neat. Tertio, si quis eligat aliquem
ad Beneficium sub eadem spe. Quat-
to, si Patronus, licet laicus, aliquem
presentet cum præfata spe.

Rogabis secundo, Num Simoniam fi-
cta reducatur ad Conventionalem; ut
si quis promittat Beneficium pro pe-
cunia, intentione solum recipiendi
pecuniam, non tradendi Beneficium?

Respondeo cum communi contra
Navar. negative; Simoniam enim ficta
non est Simoniam; sicut homo pius
non est homo, & consequenter ad
nullam Simoniam speciem reduci debet.
Ex quo fit, quod simoniacus fictus
penas contra simoniacos latis non
incurrat.

Notandum tamen, quod Clemens
VIII. prohibuit, ne Regulares absol-
vant non solum a quavis Simoniam rea-
li, sed etiam a confidentia beneficiali,
unde quælibet confidentia beneficialis
etiam mentalis, & conventionalis,
quæ in opus externum prodit, est

casus reservatus, licet poenae a Pio IV., & V. latae restringantur ad Realem. Nonnulli tamen putant solam Confidentiam Beneficentiam realem a Clem. VIII. reservari; quia sola haec habet annexam censuram, & casus Pontificii reservati universim censuram habent annexam. Advertit autem Suarius loco laudato, censuram latam a Pio V. adversus committentes crimen Simoniacae Confidentiae beneficentiae incurri dumtaxat a recipientibus beneficium sub confidentia, non a dantibus, quia homines procliviores sunt ad recipiendum, quam ad dandum.

IV. Queritur tertio, Quomodo jure simonia prohibeatur?

Respondeo, prohiberi jure Divino, naturali, & humano: Divino quidem, tum quia 1. & 3. Regum reprehenditur Jeroboam, quod daret Sacerdoti pretium; tum etiam quia Christus Dominus Matth. 10. dixit, *Gratis accepistis, gratis date*. Jure etiam naturae, quia ratio dicitur Sancta sancte tractanda; non tractantur autem sancte, si permutentur pro re temporali, quae vilis est, juxta illud, *Quis non putet vile esse, quod venditur?* Unde Actor. 8. D. Petrus dixit Simoni mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Demum jure humano prohibetur in toto titulo de Simonia.

Notandum autem, aliquam Simoniam solo jure humano prohiberi; Sicut enim dum Papa prohibet, ne ab Ecclesia quisquam extrahatur in reverentiam Ecclesiae, committitur Sacrilegium, si aliquis extrahatur, quod tamen praecisa Papae prohibitione non esset Sacrilegium; ita dum Papa prohibet, ne res aliqua temporalis spiritali annexa vendatur in reverentiam talis rei, committitur Simonia, si vendatur; quae Simonia jure tantum humano est talis, nam praecisa tali prohibitione non esset Simonia; Unde o-

ritur alia celebris divisio Simoniae in Naturalem, & Ecclesiasticam, seu in Simoniam juris Naturalis, quae scilicet jure naturali prohibetur, & juris Ecclesiastici, quae scilicet prohibetur jure humano.

Hujusmodi autem Simoniae jure tantum humano prohibitae plures sunt. Primo juxta sententiam Navar., & aliorum communiter tamen rejectam, si vendantur Beneficia, (non quidem ratione tituli, quod sane jure Divino prohibetur,) sed ratione fructuum temporalium, & emolumentorum, sicut venduntur vasa sacra ratione materiae: Communiter tamen Doctores apud Less. cap. 35. dub. 2. censent etiam hoc pacto invendibilia Beneficia jure divino, quia dum venduntur ratione fructuum, venditur jus ad fructus; sed jus ad fructus habetur ratione officii spiritualis; ergo sic venderetur officium spirituale, quod jure divino est illicitum. Illud certissimum est, esse contra justitiam, si sic vendantur Beneficia: damnata quippe est ab Alex. VII. propos. 22. dicens, *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator non exigit pecuniam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*; Cum enim gratis ea dari debeant, contra justitiam est aliquid pro eis accipere, siue talis Simonia sit juris divini, siue solius juris humani.

Secundo, est Simonia solius juris humani permutatio Beneficii cum alio Beneficio facta propria auctoritate. Tertio, resignatio Beneficii propria auctoritate facta cum reservatione pensionis. Quarto, acceptio alicujus rei occasione examinis, ex Trident. sess. 24. cap. 15. Quinto venditio officiorum Ecclesiasticorum spiritalium, seu habentium onus spirituale, necnon venditio Officii Dispensatoris, seu Procuratoris, aut Aeronomi, sicut etiam De-

Defensoris, seu Syndici, aut Judicis, aut Primicerii, seu Magistri Chori, cujus est Clericos instruere, & Chorum dirigere.

Notandum demum, non dari in Simonia juris naturalis parvitatem materiae; Nam si pro re spiritali detur modica pecunia, major irreverentia irrogatur rei sacrae; Unde fit, excommunicationem latam contra Simoniacos incurri, etiamsi pretium, quod traditur, modicum sit: Et idem dicas si res spiritalis sit parva; Quicquid in contrarium sentiant nonnulli apud Ugolin. de Simonia cap. 16.; nam semper habetur tota malitia Simoniae consistens in hoc, quod temporale aequae pensetur, ac spiritali: Sicut non datur parvitas materiae in perjurio, quia quamvis in re levi juretur falsum, habetur tamen semper eadem malitia perjurii per hoc, quod Deus in testem falsi adducatur: Contra vero in furto levi, verbi gratia, quamvis habeatur injustitia, habetur tamen injustitia levis, seu damnum leve, & ideo datur parvitas materiae; Sicut etiam datur materiae parvitas in Simonia, quae sit solius juris Ecclesiastici, puta si detur modicum quid pro consequendo officio Aeronomi, ut notat Bonac. cum aliis.

V. Quæritur quarto, Quænam sit materia Simoniae?

Respondeo esse rem sacram, seu quocumque modo spiritali, & supernaturalem; cum Simonia opponatur Religioni, & cultui debito rebus sacris. Hinc primo est materia Simoniae gratia sanctificans; ut si vendatur Baptismus, vel Absolutio Sacramentalis. Secundo Eucharistia, si verbi gratia vendatur ad magicas artes. Tertio Reliquiae, & earum retentio, sunt enim res sacrae, nec expetuntur, nisi ob sanctitatem ejus, cujus sunt reliquiae. Quarto Præstimoniam, quæ tanquam Beneficia conferuntur a solis

Pralatis Ecclesiasticis, & instituta sunt ad alendos in studiis Clericos pauperes, ut possint inservire Ecclesiae; Pius enim V. adjunxit illis Officii divini obligationem, & ideo hujusmodi Beneficia habent titulum spiritali.

VI. Quinto, Cappellaniae collativae, seu erectae auctoritate Episcopi, non tamen non collativae, ex Pal.; quamvis gratis dari debeant, unde citra Simoniam, sed contra justitiam venderentur.

Item Commendae spiritalis, seu Vicariae, quæ pariter habent pensum Canoniarum horarum, & administrationem Sacramentorum: Commendae vero militares Equitum Hierosolymitanorum non sunt materia Simoniae, quia non sunt quid spiritali, & conferuntur solum titulo laico in stipendium pro temporalibus servitiis, quamvis non dentur nisi Religiosis professis. Vicariatus autem Episcopi materia quidem Simoniae est, cum jurisdictionem habeat spiritali; at qui illum emit, probabiliter non tenetur resignare, ut docet Sanch. lib. 2. Opusc. cap. 3. dub. 113. contra Navar. & Lopez, eo quod non sit Beneficium.

Sexto, Rectoriae, seu Officia regendi, & gubernandi Hospitalia Episcopi auctoritate erecta; Et ratio est, quia habent spiritali administrationem annexam; sed si tantum habeant administrationem temporalem, & curam infirmorum.

Septimo, Sacramenta, vel Sacramentalia, aut ipsorum usus, quamvis non committatur Simonia accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, videlicet pro pane, oleo; Nec in Matrimonio pro ejus materia proxima, scilicet pro traditione corporum, quia talis traditio non est actus potestatis spiritalis, ut notat Suar. lib. 4. cap. 11.; Nec si aliquid accipiat pro labore, & defatigatione extraordinaria in Sacramentis administrantur.

strandis; Dicitur autem labor extraordi-
narius, qui per accidens conjungi-
tur cum Sacramentorum administratio-
ne, & sine quo adhuc Sacramenta
administrari possent; verbi gratia, si
longum iter faciendum sit, ut missa
celebretur: Pro labore autem intrinse-
co, seu necessario requisito nihil ac-
cipi potest, ex regula Urbani in Cap.
Si quis objecerit 1. quæst. 3., ubi dicitur,
Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit; Unde nihil accipi potest, aut tradi pro functionibus Ordinum, puta pro lectione Epistolæ facta a Subdiacono, pro Divinis Officiis persolvendis, pro recitatione litaniarum, &c., & aliis privatis orationibus, quæ impulsu Spiritus Sancti fiunt, & ad spiritualem effectum ordinantur: Potest tamen accipi ab administrante Sacramenta, & a persolvente Divina Officia solum id, quod præcise requiritur ad sui sustentationem, quamvis aliunde habeat, unde sustentetur; Nam sicut gratis dicitur laborare Artifex, cui dantur tantum necessaria ad sustentationem, ita in casu nostro; Immo sustentatio potest deduci in pactum, ex Bonac. hic, Suar., Valent. contra Sylvest., & alios; quibus videtur favere D. Th. 2. 2. quæst. 100. art. 3., Et ratio est, quia quilibet in pactum deducere potest, quod sibi jure naturæ debetur, sicut est sustentatio.

Octavo, omnes res consecrata, ut Calix, Ecclesiæ, &c., ratione materiæ vendi possunt, nisi specialiter prohibeatur; Sicut prohibetur in jure Canonico venditio sepulturæ, etiam ratione soli; sic etiam Chrismatis, balsami; Et Romæ specialiter prohibetur venditio effigiei Cereæ (dictæ Agnus Dei) benedictæ, ad vitandum periculum Simonix, etiamsi non vendatur pluri ob consecrationem; Consuetudo tamen obtinuit vendendi ad Cap-

pellam extruendam cum sepultura certum locum Ecclesiæ, vel Cæmeterii, quæ consuetudo, si fuit legitime præscripta, potuit abrogare jus humanum.

Neque dicas, si potest sine Simonia vendi Calix ratione materiæ, quare non potest vendi actio, verbi gratia, sacrificandi ratione laboris intrinseci annexi?

Respondeo cum Suar. cap. 14. disparitatem esse, quia in primo casu materia antecedit spirituale, nec valorem suum amittit per conjunctionem cum spirituali; in secundo casu labor non antecedit actionem sacrificandi, sed ipsam comitatur, & veluti cum illa permiscetur, & fit totum quoddam quasi spirituale, unde fit invendibilis jure Divino: Quare vendi possunt ratione materiæ solum quæcumque antecederent sunt connexa cum spiritualibus, ut Calix consecratus &c., qui scilicet antecederent ad consecrationem est pretio æstimabilis, & eatenus vendi potest; prout dicemus de bonis, quibus annectitur Jus patronatus, quin tamen ipsum Jus patronatus vendi possit.

Nono, Quæcumque concomitanter sunt annexa cum spiritualibus, ut labor intrinsecus rei sacræ, vendi non possunt, nec vendi possunt quæcumque sunt annexa rei sacræ consequenter, ut Beneficium, in quo jus ad fructus consequitur ad officium spirituale. Ratio est, quia hoc jus pendet a re sacræ, sicuti accessorium a principali; Et aperte constat id non licere ex illa regula in cap. *Si quis objecerit* 1. quæst. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*.

VII. Decimo, qui promittit alteri aliquid temporale cum pacto, quod bonum opus aliquod faciat, verbi gratia, quod fiat Christianus, quod recitet rosarium, &c., est simoniacus obligando alterum ex contractu oneroso;

so; Si tamen promittatur aliquid sub conditione, quod fiat opus spirituale, intendendo tantum spirituale bonum operantis, non est Simonia: Verbi gratia, si dicas sine ullo pacto, Dabo tibi centum, si fias Christianus: Etenim in hoc secundo casu non habetur contractus onerosus, sed liberalis donatio facta animo alliciendi illum ad opus spirituale. Ita Bonac. quæst. 4. §. 7. & Less. dub. 12.; Ubi docet, aliud esse offerre aliquid ad alliciendum animum alterius, ut ponat opus bonum, aliud esse offerre aliquid ad obligandum illum, ut ponat opus bonum, quod ipsimet donatario prodest.

Undecimo, Aliquid tradere pro ingressu in Religionem, vel ob professionem, tanquam pretium, est simonia. Dari tamen aliquid potest pro congrua sustentatione ejus, qui Religionem ingreditur; sic enim datur temporale pro temporali, videlicet pro onere alendi illum, sicut in matrimonio datur temporale ad onera matrimonii sustinenda.

Duodecimo; Nihil accipi potest pro concione Sacra, quippe quæ actus sacre est, cum Concionator sit veluti legatus Dei ad hoc missus; Et constat, quia Christus Dominus mittens Apostolos ad prædicandum Matth. 10. eodem modo loquitur de prædicatione, ac de curatione morborum, & mortuorum resuscitatione, dicens, *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquavit Regnum Dei, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones ejicite; gratis accepistis, gratis date:* ergo concionari non gratis, sed accepto pretio, Simonia est; Solum pro sustentatione potest aliquid accipi, & in pactum deduci, ut diximus de stipendio Missæ. Ita communiter apud Bonac. §. 10.: Contra tamen potest aliquid accipi pro docenda Theologia sive morali, sive scholastica, quia actiones magistri docentis Theologiam sunt naturales pretio æstimabiles: Idem di-

cas, si detur consilium in materia theologica pretio accepto, etiam si detur tale consilium ad pacandam conscientiam; quia consilium est aliquid naturale, quod etiam a non Theologo dari potest. Idem etiam dicas, si aliquid accipiatur pro docenda doctrina Christiana, ad instruendum intellectum, & exercendam memoriam, ut fit in scholis; Secus vero si doceas illam concionando, persuadendo, ostendendo ejus credibilitatem. Nec est simoniacus, qui vendit licentiam docendi Theologiam, aut Magisterium, seu doctoratum theologicum, cum actus docendi, ad quem doctoratus dirigitur, non sit spiritualis, secus vero pro licentia concionandi, audiendi confessiones, &c.

VIII. Decimotertio, Jus patronatus, (sicut etiam Præsentatio) cum habeat pro objecto Beneficium, est aliquid spirituale, quod vendi non potest; bona tamen, quibus Jus patronatus annexum est, vendi possunt, dummodo non plures vendantur ratione Juris patronatus annexi, quia sunt antecederet connexa cum re sacra. Notandum tamen, quod solum Jus patronatus reale, quod annectitur bonis, quæ vendi possunt, cum iis transferatur, in quibus fundatur, sicut accessorium transfertur cum principali, ut consecratio Calicis cum ipso Calice; Jus patronatus vero personale solum transferri potest per liberalem donationem, interveniente Episcopi consensu, dummodo non transferatur in Religiosos, ex cap. *Illud, De jure patronatus.*

Decimoquarto, Qui alteri resignat Beneficium, non potest quicquam exigere a resignatario ratione fructuum, quia Beneficium annectitur rei sacræ consequenter: Et ratio a priori est, quia persona privata non potest separare præbendam, seu fructus, & emolumentum ab ipso Beneficio; ergo cum non possit quicquam exigere ratio-

tionem Beneficii, nec poterit quicquam exigere ratione emolumentum, & ideo communius docent Theologi cum Cajet., Valent., Azor., Bonac. contra Ugolin., Navar., & Canonistas, quod in tali casu committeretur Simonia juris Divini. At potest Papa conferre Beneficium, reservata sibi, vel alteri pensione; quia potest separare Beneficium a fructibus; Cum enim Beneficium duo dicat, jus ad sacrum ministerium, & jus ad fructus, & hujusmodi duo jura ex auctoritate, & institutione Summi Pontificis connectantur, poterunt eadem auctoritate separari; nam res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Præterquamquod Papa si non est dominus, est saltem administrator bonorum Ecclesiasticorum cum maxima facultate, & jure; ergo potest uni Beneficium conferre cum jure ad partem fructus, alteri vero jus ad alteram partem fructus. Episcopi vero quia non possunt separare a Beneficiis emolumenta, jure positivo id prohibente, ideo nec possunt conferre Beneficia cum pensione, exceptis quibusdam casibus. Primus est, dum senex Beneficium renunciat; tunc enim nonnulli Doctores docent, posse Episcopum reservare pensionem ad vitam renunciantis propter senium. Secundus in transactionibus, & concordantibus potest pensionem personalem imponere, ex Cap. *De Casero*, ut videre est apud Suar. de Simonia lib. 4. cap. 24.

Decimoquinto, Commutari quidem potest res pure spiritualis cum spirituali, puta missa cum missa, quia non fit injuria rei sacre; ut communiter docent contra Sylvest., Armil., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 15., secus vero si permutetur res non pure spiritualis cum altera, puta corona benedicta materiae pretiosae cum corona vilis materiae, cui sint annexae indulgentiae; quia sic videtur permuta-

ri spirituale cum temporali: Et ideo neque etiam potest permutari, quod est spirituale antecedenter cum eo, quod est spirituale consequenter, puta Calix consecratus cum Beneficio. Quamvis autem Calix consecratus permutari possit cum alio ejusdem valoris, at ex jure positivo nullum Beneficium potest privata auctoritate cum alio commutari, ex Cap. *Quasium*, *De rerum permutatione*, & ex cap. ult. *De pactis*, ubi omnis omnino pactio prohibetur in Beneficiis. Puto proinde, quod in permutatione Beneficiorum facta privata auctoritate committeretur Simonia juris humani, non divini, ut communiter docent contra nonnullos apud Azor. cap. 12., Sicut etiam si commutentur actiones pertinentes ad provisiones Beneficiorum, ut si dicatur, Tu elige hunc, & ego eligam, vel presentabo illum.

Quod autem attinet ad Superioratus Religionum, dubium est, an includantur nomine Beneficii ad incurrendas has penas permutantium? Affirmant Suar., Navar., & alii communiter contra Barbof., Bonac. quæst. 7. §. 2., Lessi. dub. 25. Azor., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 156., qui putant nomine Beneficii venire tantum ea, quæ rigore Beneficia vocantur, & ideo non esse simoniacum pactum, quo duo conveniant invicem ad dandum alteri suffragium pro Superioratu; Ex qua questione dependet illa alia, num scilicet Mediatores simoniacæ electionis ad Superioratus incidant in excommunicationem; Incidunt enim, si Superioratus habeant rationem Beneficii preste dicti; Secus vero non incidunt.

Permutationes tamen Beneficiorum, si pure fiant, & sine pensione fieri possunt auctoritate Episcopi loci, in quo situm est Beneficium, ex Cap. *Quasium*, *De rerum permutatione*: Si tamen inæqualitas fructuum compensanda sit pen-

pensione, aut pecunia, communius do-
cent contra Sylvest., Cajet., Fabian.,
quod non satis sit auctoritas Prælati,
sed requiratur auctoritas Papæ.

IX. Decimosexto, Pensio tempora-
lis, seu laicalis non est materia Simo-
niæ, cum non sit spiritualis; Contra
vero pensio clericalis, sive spiritualis
ea sit, (quæ scilicet fundatur in titu-
lo mere spirituali, ut quæ datur con-
cionatori, vel adjutori Episcopi, aut
Parochi,) sive media, quæ scilicet non
fundatur in officio spirituali, sed in
statu spirituali, ut quæ datur Clerico
pauperi, aut Parocho seni, ut se su-
stentet. Ratio est, quia utraque pen-
sio habet onus recitandi officium Bea-
tæ Virginis, & ideo non datur titulo
spirituali, seu propter causam spiritua-
lem. Sed Avil. 2. parte cap. 6. dub. 5.
putat probabiliter, esse temporalem
pensionem fundatam non in officio,
sed in statu spirituali: Potest tamen
Pensionarius vendere fructus pensionis
etiam ad totam vitam, dummodo re-
tineat titulum pensionis; quia hoc ha-
beret rationem veluti locationis, vel
anticipatæ venditionis fructuum.

Decimoseptimo, Resignatio Benefi-
ciorum, si non sit pura, est simonia-
ca; quia omnis pactio in spiritualibus
simoniam continet, ex Cap. final. *De*
Pactis. Verum Sot., Covarr., Sylvest.,
& alii cum Less. cap. 35. dub. 14. do-
cent, resignationem Beneficii in favo-
rem tertii factam in manibus Ordina-
rii cum clausula, Non aliter, nec alias,
non esse illicitam, cum non contineat
Simoniam nec juris Divini, nec hu-
mani; Non Divini, quia nihil tempo-
rale accipitur pro tali renunciatione
conditionata; & sane si permutatio
Beneficiorum non continet hujusmodi
Simoniam, a fortiori nec cessio; Nec
continet Simoniam juris humani; quia
nulla hic intervenit pactio, cum non
habeatur ulla promissio Ordinarii, sed
solum habeatur resignatio conditiona-

Pars III.

ta, quam si Prælati accēptare nolit,
nihil actum est.

Decimo octavo, Dubium est, an re-
demptio vexationis licita sit in Bene-
ficiis? Equidem dico cum Less. dub.
18., quod qui habet jus in re ad Be-
neficium per hoc, quod sit institutus,
aut confirmatus, aut per hoc, quod
libere illud sit jam collatum, potest
pecuniam offerre ei, qui vult impedi-
re possessionem. Ita communiter, quia
possessio est quid temporale: Qui ve-
ro habet tantum jus ad rem, aut re-
motum per hoc, quod est dignus, aut
habet propinquum, per hoc, quod sit
præsentatus, vel electus, vel postula-
tus, sed nondum institutus, aut con-
firmatus, non potest vexationem re-
dimere ab iis, qui possunt prodesse,
ut scilicet non opponant, quæ jure
possunt opponere, quia sic pecunia
sterneretur via ad Beneficium; Sed
potest vexationem redimere ab iis,
qui modis aperte iniquis possunt ob-
esse, verbi gratia, infamando electum,
&c., quia offerretur pecunia solum ne
iniquè noceatur, & omnis hujusmodi
injusta vexatio redimi potest.

Decimonono, Litigantes Simonia-
cam transactionem facerent, si remit-
terent jus spirituale pro temporali, ut
patet; Unde non licet litem circa Be-
neficium, aut circa jurisdictionem spi-
ritualem, aut circa reliquias compone-
re tradita pecunia, ex cap. *Constitu-*
tus, *De transactionibus*; quia sic per-
mutaretur spirituale cum temporali;
Licita tamen est transactio compensan-
do unam rem spiritualem cum altera,
quamvis talis transactio in materia be-
neficiali fieri non possit privata aucto-
ritate ob periculum Simonie, ex cap.
Super eo, *De transactionibus*; Possunt
tamen facere amicabilem compositio-
nem, seu amicabiliter stare iudicio a-
licujus prudentis Arbitratoris, (qui ta-
men sit Clericus,) quod idem est ac
facere compromissum in aliquem Cle-
ricum,

A a

ricum,

ricum, qui litem dirimat, & perinde ac si esset Judex, partes componeret, exigente id æquitate, & bono pacis, ut notat hic Bonac. quæst. 4. §. 15., juxta doctrinam Suarii, Tabienæ, & Azorii p. 3. lib. 12. cap. 8.

X. Vigesimo, Pro actibus jurisdictionis fori interni nihil accipi potest, puta pro dispensatione votorum, aut pro absolutione a Censuris, &c., quamvis possit dari pecunia injuste deneganti absolutionem, ad redimendam injustam vexationem: Pro actibus vero jurisdictionis laicæ, & temporalis non est Simonia aliquid accipere, Verbi gratia si Prælatus pretio concedat licentiam docendi, vel legitimandi ad honores temporales, aut ad successionem in bonis; quia non exercet jurisdictionem spiritualem secundum se, sed quatenus continet temporalem; Contra tamen Simonia est accipere, vel dare aliquid pro actibus Ecclesiasticæ jurisdictionis, etiam fori externi; quia talis jurisdictio est spiritualis, & supernaturalis. Unde Trident. sess. 25. cap. 18. generaliter decernit dispensationes Ecclesiasticas gratis concedendas, alioquin censendas esse surreptitias. Receptum tamen est stylo Curie Romanæ, ut in dispensationibus concedendis aliquid solvatur. Primo, pro sustentatione Papæ. Secundo, pro labore, & sustentatione Officialium; quamvis enim pro tali labore nihil accipi possit jure Ecclesiastico, dispensat tamen Pontifex in hoc casu, ut docent Suar., Azor., Bonac. Tertio, quia Pontifex commutat unum opus in aliud, hoc est dispensat relaxando vinculum, & imponendo solutionem pecuniæ erogandæ in pios usus. Quarto, in poenam delicti. Quinto, ne facile dispensationes petantur.

XI. Quæritur quinto, Quinam possint Simoniæ peccatum incurrere?

Respondeo, omnes homines posse incurrere in Simoniæ Divino, & na-

turali jure prohibitam, quia omnes naturali juri subjiciuntur; unde esset Simoniacus Papa, si prævio pretio conferret Ordines Sacros, & Paganus, qui emeret Baptismum, aut ad Simoniæ cooperaretur. Verum Simonia non committitur ex pacto cum Deo inito, verbi gratia, si illi permittatur res temporalis in casu, quod donet prophetiam; nam nihil temporale donari potest Deo, quia dominus est universorum: Solum potest illi dari obsequium spirituale, dando verbi gratia elemosynam; unde spirituale in tali casu cum spirituali, nempe cum prophetia, commutaretur.

Præterea Simoniæ jure humano prohibitam possunt omnes fideles incurrere, quia omnes legibus Ecclesiasticis subjiciuntur, etiam Papa, quatenus secundum vim directivam etiam iis legibus subditur: Quamvis præsumendum, quod habeat justam causam dispensandi secummet, quando eas leges transgreditur; quia in facto Principis non præsumitur delictum, ut bene Suar. lib. 4. cap. 52. Non dispensat tamen in ulla lege, quando vendit aliqua officia Ecclesiæ, quia nulli supremo Principi prohibetur vendere officia vendibilia suæ Reipublicæ, ut notat Azor. part. 3. lib. 12. cap. 29.

XII. Dubium est, An Simoniæ jure humano prohibitam incurrant, qui illam exercent, sciente, & dissimulante Pontifice? Sanch. lib. 3. disp. 35., Sal., & alii putant non incurrere, quia Papa nunquam præsumitur delinquere; Si autem dissimularet Simoniæ, & non in ea dispensaret, delinqueret; ergo præsumenda est dispensatio. Verum Suar., Sayr., & alii putant, non excusari a tolerantia Pontificis, quoties aut non habet Pontifex certam scientiam de re, quam tolerat; aut tolerat, quia non expedit omnes punire ad vitanda pejora mala; aut non est talis consuetudo in contrarium, ut judi-

judicio prudentum ea lex sublata censetur. Ratio est, quia in dubio obligationis legis judicandum in favorem legis, quæ stat in possessione; atqui tolerantia Pontificis in his casibus ad summum reddit tantum dubiam obligationem legis; ergo lex non cessat obligare. Minor probatur; nam taciturnitas, & tolerantia non semper arguit consensum; præsertim quia delictum aliquando non punitur, quia non denunciatur, vel quia non expedit omnes delinquentes punire, vel quia ex negligentia aliqua Superior tacet, quin factum approbet.

XIII. Quæritur sexto: Quibus de causis excusari possit a labe Simonie accipiens temporale occasione spiritualis?

Respondeo, sex causas, seu titulos enumerari. Primus est titulus debite sustentationis. Secundus titulus liberalitatis, seu gratitudinis. Tertius, labor extrinsecus, seu per accidens annexus operi spirituali. Quartus, privatio libertatis, vel alterius commodi temporalis, seu lucrum cessans, ut exercentur spirituale. Quintus, redemptio vexationis. Sextus, consuetudo accipiendi temporale pro spirituali in aliquo casu, in quo jure tantum humano id prohibetur, cum consuetudo possit legem humanam abrogare; De singulis nonnulla dicemus.

Primo itaque sine Simonie labe potest accipi aliquid pro spirituali titulo sustentationis; Nam Simonia tunc habetur, quando accipitur aliquid indebitum; Sustentatio autem jure nature est debita; Etenim *Dignus est operarius cibo suo*, Matth. 10., & *Qui altari servit, de altari vivere debet*, ad Rom. 15. Ita communiter: Sicut enim qui contractum onerosum iniret de Missa dicenda, dummodo sibi dentur candelæ, hostia, vinum, & alia necessaria, certe gratis celebraret, ita qui pactum facit de celebrando, dummodo

sibi detur sustentatio, quæ pariter necessaria est ad Sacrificium; Etenim cum homo privet se negotiis temporalibus, quibus posset lucrum capere, & se sustentare, ut vacet Sacris ministeriis, par est, ut sustentatio illi detur; Nec per hoc non gratis Sacra peragat: Sicut mutuans per hoc quod exigit a Mutuatario lucrum cessans, non dicitur non mutuare gratis.

Azor. tamen negat hoc licitum esse ei, qui aliunde potest sustentari. Sed rejicitur communiter, quia quod aliunde habeat, est per accidens, nec per hoc privandus est sustentatione jure nature debita; cum nemo teneatur militare suis stipendiis, ut bene Suar. c. 45. Tunc peccaret accipiendo sustentationem, quando ex officio teneretur ministrare spiritualia, & ratione officii haberet alios redditus sufficientes.

Hinc sequitur cum Navar., Suar., Sot., Valent., Bonac. hic, posse sustentationem deduci in pactum, quia quilibet deducere potest in pactum, quod sibi jure nature debetur; Sequitur secundo, hac ratione excusandos Ministros Ecclesie, Concionatores, Confessarios, &c. accipientes pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine, vel ex legibus Ecclesie præscribentibus aliquid dari pro certis muneribus. Neque dicas, in cap. ult. *De pactis* prohiberi omnem pacitionem in spiritualibus. Nam vel non est ibi sermo de sustentatione jure nature debita, vel dicendum, quod in quibusdam functionibus contraria consuetudo legem illam abrogavit.

Secundo, potest aliquid accipi titulo liberalitatis, aut gratitudinis, dummodo non sit gratuita compensatio pro spirituali, quod damnatur ab Innoc. XI. prop. 45. seu non detur ad compensandum spirituale cum temporali; nam hæc compensare, seu æque pensare, apertissima Simonia est; Nec debet ullum tacitum pactum præfuisse;

A a 2 quia

quia sic non gratis, & liberaliter daretur, sed ad satisfaciendum obligationi ex iustitia ratione illius taciti pacti contractæ. Si tamen aliquid detur ad satisfaciendum soli obligationi antidotali, seu morali, ortæ ex virtute gratitudinis, nullo præcedente pacto implicito, non habetur Simonia, cum non detur ut pretium, nec detur intentione permutandi temporale cum spirituali, ut advertit Suar. tom. 1. De Relig. lib. 4. cap. 36., Filiuc., Navar., Valent., & Bonac. hic; Et quamvis dare aliquid titulo gratitudinis non sit gratis dare, sed sit dare titulo Beneficii accepti, tamen quia non datur ad satisfaciendum ulli obligationi ex iustitia, aut ex pacto, ideo non sufficit ad Simoniam; Quod etiam notat Less. dub. 20. ex Suar., Navar., & aliis, ubi tamen pariter notat, periculosum id in praxi esse.

Dices, qui titulo gratitudinis dat spirituale pro temporali, obtinet remissionem, seu extinctionem obligationis antidotalis, quæ est pretio æstimabilis, non secus ac remissio debiti ex iustitia; Unde recurrit, quod temporale cum spirituali commutaretur. Sed respondeo cum Suar. num. 13., Navar., Filiuc. apud Bonac. quæst. 6. punct. 1. negando, remissionem, seu extinctionem talis obligationis esse pretio æstimabilem; Etenim sicut naturaliter confurgit ex largitione doni obligatio ex gratitudine, ita ut ad contrahendam talem obligationem non requiratur novum pactum, nec nova voluntas præter voluntatem accipiendi donum; ita extinctio talis obligationis naturaliter consequitur per recognitionem gratuitam: Ex quo fit, quod qui dat spirituale titulo gratitudinis, & ad extinguendam obligationem antidotalem, vere det gratis, nec aliquid pretio æstimabile acquirat, dum acquirit id, quod naturaliter consequitur ad gratuitam recognitionem: Sicut qui li-

beraliter donat, omnino gratis donat, quamvis acquirat obligationem, quæ confurgit in donatario ad recognitionem; quia talis obligatio naturaliter confurgit, & ideo non dicitur esse pretio æstimabilis. Certum tamen est, ut diximus, quod si quis det temporale obligando donatarium, ut satisfaciat obligationi gratitudinis redonando spirituale, committat Simoniam; quia ex tali pacto sive expresso, sive tacito confurgeret nova obligatio ex iustitia, quæ est pretio æstimabilis; & ideo qui dat mutuum obligando ex pacto mutuatarium, ut remutuet, usurarius est, eo quod præter obligationem generalem, & antidotalem inducitur ex pacto nova obligatio civilis, & specialis.

Hinc fit, quod si quis det temporale intentione acquirendi spirituale ex titulo gratitudinis, non committat Simoniam; Si vero det temporale intentione, ut ille veluti ex pacto tacito obligetur ad redonandum spirituale, ad satisfaciendum obligationi ortæ ex gratitudine, Simoniam mentalem committat, ut notat hic Bonac. Denique si quis gratis det temporale sine ullo pacto implicito, & deinde petat, ut titulo gratitudinis sibi spirituale conferatur, non committit Simoniam, cum non petat indebitum, (quamvis in praxi id etiam valde periculosum sit,) Sicut nec committit usuram, qui petit, ut ex gratitudine sibi remutuetur. Immo nec Simonia committitur ab iis, qui tradunt Religiosis eleemosynas petendo, ut in gratitudinem orent pro se, nec a Religiosis, qui id promittunt: Etenim non petitur eleemosyna in pretium, esto ea non daretur, nisi sperarent orationes, (sicuti non eliceretur actus contritionis, nisi immineret mors,) siquidem illud est motivum extrinsecum impellens, non finalizans; Ad eum modum, quo in actu contritionis metus mortis est motivum solum extrinsecum, & impellens. Quod tamen

men in materia Beneficiorum, orationum, vel simili materia periculosum est in praxi, ne quis velit donum Dei pecunia possidere, quamvis nolit illam dare in pretium: Sicut Simon Magus volebat dare pecuniam in pretium rei spiritualis, nam pretium est mensura valoris rei; Quis autem est, nisi factuus, qui velit spirituale cum temporali posse in valore proportionari? Si in humanis nec amor, nec sapientia pretio aestimantur, ut dicitur Sapient. c. 7., quanto magis supernaturalia? Quare permutare spirituale pro temporali in lata significatione dicitur vendere spiritualia; Sicut Judas dicitur vendidisse Christum, eo quod sic permutavit, & D. August. 4. Confes. cap. 2., quia Rhetoricam mercede docuit, dixit se illam vendidisse.

Quod hæc in praxi sint periculosa, in materia præsertim beneficiaria, patet ex Cap. *Tua nos, De Simonia*, ubi Urbanus II. dixit esse simoniacum Clericum, qui offerebat bona sua Ecclesiæ, ea conditione, ut in Canonicum reciperetur, & esse simoniacos illos, qui non admittuntur erant illum in Canonicum, nisi bona sua largitus esset. Ratio a priori est, quia quamvis pecunia in tali casu esset finis secundarius, tamen movebat voluntatem, tanquam causa principalis partialis, atque adeo in eodem ordine ponebatur pecunia, & finis spiritualis; Etenim uterque simul movebat voluntatem ad conferendum Canonicatum, & solus finis spiritualis non sufficiebat. Præterquamquod non dabatur gratis, & sine pretio; solum enim quando paciscitur sustentatio, datur res spiritualis sine pretio; cum non sit indebita sustentatio, sed jure naturæ debita.

XIV. Notandum tamen, quod si quis susciperet extremam Unctionem non solum pro remissione peccatorum, sed etiam ut liberetur a morbo, quando illam etiam susciperet, quamvis mor-

bum non curaret, tunc ita habet pro fine secundo aliquid temporale, ut non peccet; quia finis secundarius in tali casu cadit a ratione finis rigorose dicti, (qui scilicet magis aestimatur, quam medium,) cum non magis aestimetur, quam opus, quod ad ipsum ordinatur: Quare pro fine secundo sæpe idem significatur ac per accidens, ac de consequenti, non vero significatur finis presse dictus, qui magis intendatur, & aestimetur, quam opus, quod ad illum ordinatur.

Hinc qui opus conjugii intenderit primario propter prolem, secundo propter voluptatem, certe peccaret, quia nullo pacto potest esse finis operationis presse dictus voluptas, nisi apud Epicureos. Quamvis autem aliquis abstinere ab opere conjugii, nisi esset in eo voluptas, non hinc sequitur, quod habeat pro fine secundo voluptatem; sicut non quia aliquis abstinere a celebrando, nisi rogaretur ab amico, vel nisi daretur elemosyna, inde fit, quod pro fine secundo celebrationis habeat obsequium erga amicum, & elemosynam; tum quia potest missa ordinari ad finem spiritualem, quamvis rogatu amici celebretur, sicut rogatu pœnitentium audimus confessiones, quas tamen ad finem spiritualem ordinemus; tum etiam quia preces amici, & elemosyna possunt esse tantum motivum occasionale, non finale, seu causa excitans, & impulsiva ad celebrandum, vel causa applicationis ad celebrandum, quin sit causa finalis, & secunda, juxta distinctionem Juristarum; In quo sensu Deus promittit Hebræis obedientibus bona temporalia, ut eorum spe excitarentur, non ut pro fine illa haberent, nam quod habet rationem finis, pluri aestimatur, quam medium, juxta illud effatum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; Unde si Deo obediremus præcise propter bona temporalia, quæ promittit,

mittit, hoc actu magis hæc bona, quam Dei obedientiam æstimaremus, quod est absolum.

Tertio excusat a simonia titulus laboris extrinseci, seu per accidens conjuncti cum actione spirituali, quia huiusmodi labor est pretio æstimabilis, sive labor extrinsecus præcedat, sive comitetur, ut docent communiter: Secus tamen dicendum de labore intrinseco, ex regula illa Urbani in cap. *Si quis objecerit* 2. quaest. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*; ut communiter etiam docent contra Hadrian. quodlib. 9., Majorem, & alios.

Proinde Suar., Filliuc., & alii apud Bonac. docent, posse quidem accipi aliquid pro obligatione celebrandi tali hora, pro longo itinere, quod quis suscipit ad celebrandam missam, non tamen pro labore, & defatigatione, quæ in missa habetur. Et quamvis multi doceant, quod possit aliquid accipi propter magnam contentionem animi, vocis, virium, præsertim si ex circumstantia personæ oriatur talis defatigatio, ut si peragens sacra sit senex infirmus, delicatæ complexionis, sicut etiam si quis magna voce concionetur, aut multum studeat pro paranda concione, aut si multum laboraret in mandando illam memoriæ; Hoc tamen a Filliuc., & Suar. rejicitur, quia existimant pretium sumi non posse pro laboribus quomodocunque necessariis ad peragendum sacrum ministerium, prout ab hominibus moraliter exerceri potest. Admittit tamen Suar. cap. 21. num. 15. Less., Valent., & alii, quod Cantor aliquid possit exigere pro cantu in Missa, vel divinis officiis, quia talis labor censetur extrinsecus. Docet etiam Less. dub. 8. num. 45., Navar., Cajet., quod possit aliquid accipi pro obligatione exercendi aliquid spirituale, nam sicut in

mutuo nihil accipi potest; tamen potest aliquid accipi pro obligatione mutuandi: ita in casu. Et sic excusant Capitula, quæ suscipiunt onus celebrandi quotannis anniversaria. Sed verius dicendum cum Laym. tract. 4. num. 4. ab his pretium accipi non pro tali onere, sed pro sustentatione, vel quia privant se libertate ad alia opera, ut mox dicemus.

Quartus titulus est privatio libertatis ad alia opera, & privatio commoditatum, & emolumentorum, quod tunc haberetur, si aliis operibus vacaretur. Ratio est, quia privatio hæc est pretio æstimabilis; Sicut enim in mutuo potest accipi lucrum cessans, & damnum emergens; ita in casu, ut notat Less. loc. cit. cum Bonac. Hinc Suar., & Filliuc. docent posse pecuniam accipi a procurante Beneficium ratione laboris in scribendo, in peragendo iter, & ratione privationis lucri, & commodi temporalis, quo se eo tempore privat; hæc enim sunt pretio æstimabilia. Certe pro privatione libertatis ad vacandum aliis negotiis temporalibus, quibus unusquisque posset capere lucrum ad se sustentandum, debita est Sacra peragenti sustentatio; ergo si quando quis se privat in alterius commodum lucro majori, videtur posse illud exigere, non secus ac exigit sustentationem.

XV. Quintus titulus est Redemptio injustæ vexationis; Quare licitum est dare pecuniam nolenti conferre Baptismum; tum quia id colligitur ex cap. *Dilectus*, *De Simonia*; tum etiam quia in tali casu temporale non datur pro Baptismo, sed pro tollendo impedimento injusto, quod est temporale, atque adeo temporale non datur pro spirituali, sed pro temporali. Hinc fit, quod possit quidem dari temporale ad tollendam vexationem injustam, non tamen potest dari spirituale. Verbi gratia non potest dari Beneficium alicui,

ne

ne tibi mortem intentet, aut ne injuste impediatur assentionem Beneficii pinguioris, adducendo scilicet hoc in pactum; (nam si des alicui sine pacto Beneficium, timens alioquin, ne te occidat, non est Simonia, ut notat Less. dub. 21.) Ratio est, quia spirituale daretur pro temporali; Si tamen Episcopus injuste vexet me dando Beneficium indigno, aut nolendo dare mihi, cui revera debetur, non possum dare pecuniam ad hanc vexationem tollendam, nam in tali casu pararem mihi pecunia viam ad Beneficium, eo quod in tali casu remotio vexationis idem est ac collatio Beneficii; Possum tamen dare pecuniam, ne eligat indignum, seu ne faciat malum, non tamen ut eligat me: Et si quis muneribus pervertat electores, possum quidem pecuniam offerre illi, ne electores pervertat, non tamen possum ego pervertere electores muneribus largioribus, quia non est faciendum hoc, quod est intrinsece malum, ad vitandam vexationem injustam; nec compensatio licita est in delictis patrandis. Quod si vexatio sit justa, non potest dari pecunia ad illam redimendam, quia pecunia pararetur via ad rem spiritualem.

Sextus titulus est Consuetudo adversus Simoniam pure Ecclesiasticam, quia consuetudo legem Ecclesiasticam abrogat, nulla tamen consuetudo abrogat jus naturale, aut Divinum. Ad agnoscendum autem, num lex sit abrogata per consuetudinem, iudicium ferendum ex communi sensu Doctorum, vel ex praxi Prælatorum, & Confessoriorum, vel ex usu, & stylo Romanæ Curie, ut Suar. cap. 61. Quare qui redditus sufficientes habent ad sustentationem ex officio Ecclesiastico, possunt per consuetudinem acquirere jus ad majores proventus, ut scilicet proventus ad sustentationem assignati augeantur, ut notat Bonac.

hic, dummodo talis consuetudo non habeat speciem Simonie, & turpis avaritie; quia in tali casu non esset censenda consuetudo, sed corruptela.

XVI. Quæritur septimo, An sit simonia dare pretium alicui, ut intercedat pro consecutione alicujus Beneficii?

Respondeo, certum esse, quod dare pretium intercessori immediato pro obtinendo Beneficio contineat Simoniam jure Ecclesiastico prohibitam. Negant nonnulli apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 131. esse Simoniam etiam jure Divino; quia revera non emitur Beneficium, sed intercessio, quæ videtur quid temporale. Communius tamen, & probabilius Suar., Laym. de Simonia §. 6. num. 65., Filiuc., & alii apud Bonac. quæst. 1. §. 1. num. 14, Sanch. dub. 26. affirmant; quia non datur pecunia pro intercessione quacunque, sed pro intercessione in quantum ordinata ad Beneficium obtinendum; quare licet non detur pecunia ad emendum Beneficium, tamen pecunia datur, ut per ipsam Beneficium, seu res spiritualis obtineatur; quod est vere simonia; cum Simon Magus noluerit emere Spiritum Sanctum, sed solum pecunia Spiritum Sanctum possidere. Confirmatur, quia si hæc non esset Simonia juris Divini, eo quod solum ematur intercessio, quæ est quid temporale, nec esset Simonia dare Episcopo pecuniam, ut se benevolam mihi ostendat in collatione Beneficii, unde me possit præferre aliis æque dignis, eo quod nec emeretur Beneficium, sed affectus Episcopi, qui est quid temporale.

Confirmatur secundo, quia quamvis in tali casu Episcopus gratis det Beneficium, tamen qui dat pecuniam intercessori, ut apud Episcopum intercedat, non recipit Beneficium sine pecunia; sed recipere pretio rem spiritualem est verissima Simonia jure Divino prohibita; ergo dare pecu-

cuniam intercessori immediato ad Beneficium obtinendum est Simonia juris Divini.

Verum quia multi cum Navar. docent, (ut diximus quæsit. 3.) jure tantum Ecclesiastico esse prohibitam venditionem Beneficiorum ratione emolumentorum, ratione quorum possent vendi jure naturæ, non secus ac vasa sacra ratione materiæ, jure vero Divino prohiberi venditionem Beneficiorum ratione tituli; Hinc qui emeret intercessionem ad obtinendos fructus Beneficii, juxta hanc sententiam committeret Simoniam jure Ecclesiastico duplici titulo prohibitam, & quia emeret fructus Beneficii, & quia pactum iniret pro consecutione Beneficii, siquidem omne pactum pro consecutione Beneficii jure Ecclesiastico est prohibitum; Immo specialiter est prohibitum dare pecuniam pro commendatione, seu intercessione, ex Extravag. *Cum detestabile*, *De Simonia*; ubi excommunicatur quicumque alteri per Simoniam realem confert, vel procurat Beneficium eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, &c.

Notat tamen Bonac. cum Suar., Sylvest., Azor., Sanch. loc. cit., non esse Simoniam, si detur aliquid familiaribus Episcopi, a quo Beneficium conferendum est, non ut intercedant, sed ut aditum aperiant, vel facilem ingressum concedant, sive ut certiorum faciant Prælatum de meritis Oratoris, dummodo non se habeant ut intercessores, sed ut informatores; quia hoc, quod emeretur, esset mere obsequium temporale. Nec est Simonia, si intercessori aliquid detur præcise ob laborem accidentalem, eundo, & redeundo ad collatorem, aut in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis, ut notat Navar., quia hujusmodi labores extrinseci in aliis actionibus pure spirituali-

bus possunt sine labe Simonie commensari.

Dubium est ulterius, At sit Simonia dare pretium pro intercessione mediata apud collatorem Beneficii? Circa quod hæc habet Sanch. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 151. Si daretur pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, nec eligere, nec præsentare, ut ille tertius obsecret, ut detur illi Beneficium, hoc non est illicitum, & nullo modo est Simonia: quia datur pro re mere temporali, nec paratur via immediate, & proxime ad Beneficium; Sic Gabriel, Vasq. disputato casu Matruti; Et alii juniores dicunt, hoc esse probabile, licet sentiant, oppositum esse probabilius; & consequenter ad hanc sententiam dicunt non esse simoniam, nec peccatum dare aliquid famulo Auditoris, ut obsecret suum herum, ut me proponat Regi ad Beneficium, quia Auditores non præsentant ad Beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantum consultivum, & sic non paratur via immediate ad Beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me præsentaret Regi ad Beneficium illius Regni: Sic docti Recentiores. At licet hoc probabile sit, probabilius tamen est oppositum, quia non potest negari directe parari viam ad Beneficium pretio, & sic emi Beneficium. Hætenus Sanch. loc. laudato.

Hanc sententiam non consulerem; etenim sic etiam per pecuniam paratur via ad Beneficium, quandoquidem qui Beneficium accipit, illud vere possidet per pecuniam, quam obtulit non quidem danti, aut intercessori immediato, sed mediato.

Idem Sanch. lib. 2. Confil. cap. 3. disp. 33. docet, quod si quis post obtentum, & possessum Beneficium ve-

xatur iuste, verbi gratia, quia vult illum accusare, ut deponatur, vel agitat litem, quæ non est evidenter iniusta, Simonia sit offerre pecuniam, ut desistat.

Addit idem Sanch. dub. 33. Simoniam esse dare alteri pecuniam, ne se opponat contra me ad Beneficium; sicut etiam si dicatur, Ego non me oppono tibi ad hoc Beneficium, cum pacto tamen, ut non te opponas mihi ad aliud, quia hoc est pretio æstimabile, & per hoc paratur via ad Beneficium.

Utrum autem licitum sit offerre pecuniam competitoribus, & concurrentibus, ne concurrant? Dicendum, nullo pacto id licere, quia immediate per pecuniam pararetur via Beneficio, seu tolleretur iusta vexatio, & impedimentum immediatum: Secus vero si offeratur pecunia, ne intercessor mediatus intercedat pro concurrentibus; in hoc enim casu tolleretur impedimentum remotum, quamvis hoc esset etiam vexa, quæ iuste poni potest.

XVII. Quæritur octavo, An collatio, vel provisio Beneficii facta per Simoniam ignorantem illam sit irrita?

Respondeo cum communi, esse ipso iure irritam, & qui Beneficium obtinuit etiam ignoranter, inhabilis est non modo ad illud, sed etiam ad alia Beneficia obtinenda in posterum, nisi habilis efficiatur per dispensationem Pontificis in dignitatibus, aut Beneficiis curatis, vel per dispensationem Episcopi in Beneficiis simplicibus, ut notat Bonac. num. 20., & Laym. num. 73. ex Cap. *Nobis fuit, De Simonia*; Ubi dicitur, quod si Beneficium sit simplex, provisio ignorante, ac ratam non habente Simoniam ab aliis commissam, post liberam huius resignationem possit Episcopus dispensare; Ex quo sequitur, quod non possit Episcopus dispensa-

Pars III.

re, nisi post resignationem liberam nec in Beneficiis duplicibus, nec si provisus sciat Simoniam; nec si illam ignorarit ab aliis commissam, & deinde ratam habuerit. Excusatur tamen electus, tum si alii Simoniam commiserint in fraudem, scilicet ut is reddatur inhabilis ad Beneficium; tum etiam si hic expresse dixerit aliis, ne per Simoniam procurent Beneficium.

Notat etiam Laym. num. 74., quod quamvis ex Bulla Pii V. Simoniacus in Beneficio sit inhabilis etiam ad alia Beneficia obtinenda, nihilominus ex Suar. cap. 58. talis constitutio secundum hanc partem non est usu recepta; Unde probabile est, quod docet Navar., quod possit sine dispensatione alia Beneficia obtinere. Bonac. etiam num. 20. notat, quod qui bona fide Beneficium obtinuit, ignorans Simoniam ab alio commissam, gaudere possit regula de triennali possessione, itaut post triennium elapsum turbari nequeat circa illius Beneficii possessionem.

XVIII. Quæritur ultimo: Quas pœnas incurrant Simoniaci?

Respondeo, tres pœnas incurrere. Prima est excommunicatio, & aliæ censuræ, quibus Simoniaci in Ordine, in ingressu in Religionem, & in Beneficio ligantur. Secunda, quod actus simoniace facti sint irriti. Tertia, quod debeat restitui acceptum per Simoniam.

Circa censuras, fertur excommunicatio, Primo a Pio IV. contra committentes Simoniam confidentialem in Beneficiis, & pensionibus. Secundo a Paulo II. contra committentes Simoniam, aut ad id cooperantes in Beneficiorum, vel Ordinum collatione, & suspensio in Ordinato. Tertio ab Urbano IV. contra dantes, vel recipientes aliquid ex pacto pro ingressu in Religionem, & Capitulis suspensionem injunxit: Quod tamen

B b

non

non est intelligendum, si quid detur pro sustentatione, ut notant Sot., Mirand., Bonac., Idque verum est, etiam si Monasterium sit dives; Quod si pecunia, prandia, aut aliquid ad usum Ecclesiae paciscantur, &c., incurritur excommunicatio.

Circa invaliditatem, aut validitatem actorum Simoniacorum, Primo, Sacramentum Pœnitentiæ solum per accidens est irritum; quia scilicet a Pœnitente peccatur, non quia Ecclesia tollit jurisdictionem Confessario, ut poterat tollere; quare si peccatum abesset, validum esset Pœnitentiæ Sacramentum Simoniacè collatum; puta si solus Pœnitens bona fide pro absolutione obtinenda pretium conferret. Secundo, valida est emptio Officii Ecclesiastici temporalis, ut Æconomi, Advocati, Procuratoris, Defensoris bonorum Ecclesiasticorum. Tertio, consecratio Calicis, aut Ecclesiae, & quodcumque ex Ordine pendet. Quarto, professio facta per Simoniam, quia nullibi irritatur. Quinto, licentia simoniace concessa; aut sententia data ob pecuniam. Sexto, probabiliter collatio pensionis; quia licet sit res spiritualis, non est proprie Beneficium Ecclesiasticum. Septimo Officia spiritualia Religionum, ut Abbatis, Prioris, &c., ut Lefs., Azor. contra Suar., Filliuc., qui putant ea esse Beneficia, & ideo invalide per Simoniam conferri, & contrahi inhabilitatem ad idem, & alia omnia Beneficia obtinenda. Porro sunt irritæ actiones jurisdictionis, ut administrationis ordinatæ ad obtinendam provisionem Beneficii, ex cap. *Sicut tuis*, De *Simoniam*.

XIX. Denique quod attinet ad restitutionem, Dico primo, Qui pretium accepit pro re spirituali, jure Divino tenetur illud restituere danti, antequam illi tradat rem spiritualem; ut patet; quia sub ea conditione datur, unde conditione non impleta non

transfertur dominium; Nec potest tradi res spiritualis ad conditionem implendam, quia jam completeretur Simoniam: Post traditam tamen rem spiritualem, qui pretium accepit pro re spirituali, tenetur in solis tribus casibus ex jure Ecclesiastico restituere pretium acceptum, videlicet, si acceperit pretium pro Beneficio, pro collatione Ordinum, & pro admissione in Religionem; Et quidem probabilius videtur cum D. Th. 2. 2. quaest. 32. art. 7., Lefs., quod tale pretium sit restituendum pauperibus, vel Ecclesiae, cui facta est injuria; videtur enim esse contra mentem Ecclesiae imponentis restitutionem in pœnam delicti, quod restituatur ipsi danti, qui etiam deliquit; quamvis probabilis etiam sit opinio Sanch. dicentis restituendum esse danti, quia lex penalis Ecclesiastica non obligat ante sententiam Judicis.

Notat tamen Sanch. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 167. pretium simoniace acceptum pro gratia, & iustitia ex Bulla Gregorii XIII. restituendum esse pauperibus, datum vero ob ingressum in Religionem, ex cap. *Veniens*, De *Simoniam*, restituendum esse ipsi danti. Pretium tamen acceptum pro Beneficio ante sententiam Judicis restituendum est, ex cap. *De hoc*, de *Simoniam*; ubi dicitur, retineri non posse sine periculo propriæ salutis, ut docent Suar., Lefs. contra Ugolin. apud Bonac.: Idemque docet Sanch. lib. 2. Moral. cap. 3. dub. 112. de pretio accepto pro conferendis Ordinibus, ex Extrav. 2. de *Simoniam*.

XX. Dico secundo, Ex jure Divino obligatur ad restituendum pretium ipsi danti, qui pecuniam accepit pro quocumque re spirituali, quam ex iustitia tenebatur ponere; Verbi gratia, Parochus, cui assignata est congrua sustentatio, tenetur ad restitutionem, si pro Sacramentorum administratio-

ne

ne pecuniam accipiat; non secus ac Judex si pretium exigat pro ferenda sententia iusta; cum ex iustitia ad id teneatur. Ita omnes.

Qui vero accipit pretium pro re spirituali, quam non tenetur ex iustitia ponere, puta si vendat reliquias, aut administrationem Sacramentorum, docet Navar. cum communi Theologorum, & Canonistarum usque ad tempus suum, Caser., Sylvest., Victor., & aliis cap. 23. num. 103.; non teneri ad restitutionem jure Divino: Additque Sanch. in Opuscul. lib. 2. cap. 3. dub. 113. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 167.; pretium hujusmodi simoniace acceptum ne jure quidem Ecclesiastico restituendum esse ante Judicis sententiam, exceptis illis tribus casibus, si scilicet Simonia committatur in Ordine, Beneficio, & ingressu Religionis. Verum Sot., Henr., Molin., uterque Medin., & alii probabilius apud eundem Dian. censent, quodlibet pretium Simoniace acceptum jure Divino restituendum esse; gratis quippe dandæ sunt res spirituales, quas gratis a Deo accepimus.

XXI. Dico itaque tertio cum Lefs., Qui accipit pretium pro conferenda re spirituali, quam potest sine suo incommodo conferre, & quæ non habet annexum ullum commodum spirituale, ut sunt Sacramenta, Sacramentalia, &c., tenetur jure Divino ad restitutionem, nisi putetur illud gratis donatum, aut non excedat rationabile subsidium sustentationis. Ratio est, quia tenemur hæc ex præcepto Christi Domini gratis dare, uti gratis accepimus; Unde fideles habent iustitiæ divinitus concessum ad ea gratis accipienda. Et quamvis qui non est Parochus, non teneatur ea conferre ex iustitia, quilibet tamen si vult ea conferre, tenetur ex iustitia conferre gratis, sicut nemo tenetur

ex iustitia mutuare, sed si vult mutuare, ex iustitia tenetur mutuare sine usuris.

Qui tamen Simoniam commisit accipiendo aliquid pro pretio functionum spiritualium, potest ex tali pretio solum retinere, quod sibi debitum esset ad sustentationem pro tali actione spirituali, ut notat Suar. apud Bonac.

Quod si quis in gratiam alterius privat se aliqua re spirituali cum aliquo suo incommodo, pretium, quod pro tali incommodo subit, non est restituendum jure Divino, sive ille privet se re illa spirituali cum aliquo incommodo temporali, ut si resignet Beneficium; sive cum aliquo incommodo spirituali, ut si privet se reliquiis, corona benedicta; (quamvis Bonac. & alii contradicant) Ratio est, quia nemo jus habet, ut sui causa gratis incommodum ullum sive temporale, sive spirituale subeam; unde si exigatur aliquid in compensationem, non irrogaretur injuria. Nec proinde fit, quod liceat reliquias vendere; etenim quamvis hoc non sit contra iustitiam, est tamen contra reverentiam debitam rebus Sacris, quod pretio humano æstimentur.

Ex hac ratiocinatione inferunt nonnulli, quod neque jure Divino restituendum sit, quod accipitur pro re spirituali, quæ habet annexum commodum temporale; ut si vendatur Canonicatus, Episcopatus, ingressus in Religionem, quod habet conjunctum commodum alimentorum per totam vitam: Quamvis enim peccatum sit ea non conferre gratis, non videtur tamen peccatum hoc esse contra iustitiam, quia est pretio æstimabile emolumentum, quod confertur; Et quod Prælati exclusis aliis te præferat, & affectum suum ad te determinet, est pretio æstimabile.

Huic tamen sententiæ nullatenus ad hærendum puto, quandoquidem ex

hoc sequeretur, quod pariter si quis ex legato deberet dare centum alicui pauperi, non teneretur ad restitutionem, si a Titio paupere nonaginta acciperet, ut sibi potius, quam alteri talem eleemosynam largiretur, quod nemo dixerit. Et ratio a priori est, quia commodum temporale annexum rei spirituali gratis debet dari, sicut ipsa res spiritualis, ex intentione instituentis illud; non secus ac eleemosyna ex institutione testatoris debet dari pauperi gratis. Ita Suar., Filliuc. apud Bonac. quaest. 7. punct. 3. difficult. 1. num. 7., Laym. num. 79. Quod pariter constat ex thesi 22. ab Alex. VII. proscripita, quae habet: *Non est contra iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator non exigit pecuniam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

XXII. Dico quarto, Qui e contra accepit rem spirituales pro pretio, non tenetur jure Divino illam restituere, cum nulli fecerit injuriam; jure tamen Ecclesiastico solum Beneficium simoniace acceptum restituendum est; unde qui pretio reliquias, verbi gratia, accepit, non tenetur ullo jure eas restituere. Et ratio a priori est, quia licet pretium pro re sacra detur conditionate, videlicet quatenus ex iustitia debetur, & cum non debeatur ex iustitia, eo quod res sacra danda sit gratis, ideo pretium simoniace restituendum est; At res sacra datur absolute, & ideo pretio restitutum ea restitui non debet.

Dubium est, An fructus Beneficii simoniace accepti ante sententiam Judicis restituendi sint a Beneficiario?

Respondeo cum communi affirmative, cum nullo justo titulo retineri possint; etenim adeptio, seu provisio Beneficii simoniaca est ipso facto irrita, ex Extravag. *Cum detestabite*, *De Simonia*, ubi expresse dicitur, Be-

neficiarius nec jus ullum acquirere, nec facere fructus suos; Quare fructus restituendi sunt Camerae Apostolicae, nisi compositio ab ipsa obtineatur vel in pios usus, aut Ecclesiae, quae laesa fuit.

XXIII. Mittimus hic agere de Restitutione ob usuram faciendam, quoniam abunde hac de re egimus in quarto ex Opusculis Theologico-Moralibus in lucem jam editis, agentes ex professo de Usuris. Et plurima etiam de eadem dicemus in tractatu infrequenti de Contractibus, ubi disceptabimus Deo dante de Mutuo, & Usura; Et in eodem tractatu agentes de Ludo, dicemus de Restitutione ob ludum faciendam.

ARTICULUS IX.

De Restitutione faciendam ob Horarum, & Residentiae omissionem.

- I. Beneficarii post sex menses a Beneficii possessione, si Horas non recitent, tenentur ante sententiam Judicis fructus restituere pro rata omissionis, erogando illos aut in fabricam Beneficii, aut in pauperes. Explicavit Pius V. quid sonet ly pro rata omissionis.
- II. Probabiliter non tenentur ad restitutionem, qui inculpabiliter Horas omisit.
- III. Datum ob causam restituendum est causa non subsequuta, nisi aliud constet ex voluntate dantis.
- IV. Omittens partem aliquam minorem, quam sit Hora parva, probabiliter nihil restituere debet.
- V. Qui recitat quidem Horas, sed sine attentione debita; sicut peccat oravit, ita ad restitutionem fructuum obligatur.
- VI. Pariter Canonici recitans in Choro sine debita attentione distributiones retinere non potest.

VII.

- VII. Beneficiarius in excommunicationem lapsus, si recitet Horas, & munus suum praestet, potest fructus Beneficii retinere. Quid de excommunicatione vitando?
- VIII. Sicut infirmus, ita injuste detrusus in carcerem, aut excommunicatus potest distributiones lucrari, quamvis absit a Choro; cum non debeat innocens hanc poenam subire.
- IX. Qui juste est excommunicatus, non potest distributiones lucrari, quamvis per ipsum non stet, quominus absolvaatur.
- X. Beneficiarius post sex menses omittens officium, si monitus non respiciat, Beneficio privandus est.
- XI. Restitutio potest fieri non solum pauperibus, aut in utilitatem fabricae Ecclesiae, sed etiam in utilitatem fabricae domus Beneficii, aut in meliorandis agris; Et potest etiam fieri offerendo suffragia pro defunctis; Quod si ipse Beneficiarius sit pauper, potest sibi applicare fructus restituendos.
- XII. Pauper, antequam sibi tradantur in elemosynam fructus restituendi, non potest eos Beneficiario ipsi donare; Nec talis donatio est valida, si sit coacta.
- XIII. Restituendi sunt dumtaxat fructus respondentes oneri Horarum, non vero respondentes aliis oneribus, quibus sit satis. Sed quora sit ea pars?
- XIV. Quinam teneantur in Choro officium recitare?
- XV. Perstringuntur, quae spectant ad restitutionem faciendam a Beneficiariis non residentibus.

stitutionem fructuum Beneficii obligari pro rata omissionis; Examinandum nunc, quod spectat ad hujusmodi restitutionem faciendam tam ab iis, qui privatim officium non recitant, quam ab iis, qui officium in Choro non canunt; addendo pariter in calce nonnihil de restitutione facienda a Beneficiariis non residentibus in loco Beneficii, quando ad id teneantur.

Quaeritur itaque primo, In quonam casu teneantur Beneficarii ad hujusmodi restitutionem?

Respondeo, certum esse ex decreto Concilii Lateranensis sub Leone X. innovato, & aucto a Pio V. anno 1571., quod Beneficarii ante sententiam Judicis teneantur ad restitutionem fructuum Beneficii pro rata omissionis officii, si elapsis sex mensibus post obtentam Beneficii possessionem officium culpabiliter non recitaverint, quamvis alio die pensum praetermissum suppleant; nisi forte pars omissa sit levis: Declaravitque Pius V., Primo, quod Beneficiarius officium omittens culpabiliter non faciat suos fructus Beneficii, & ideo tanquam injuste perceptos ante sententiam Judicis debeat vel in fabricas ipsorum Beneficiorum, vel in pauperum elemosynas erogare. Secundo, quod quovis uno, vel pluribus diebus omnes Horas intermiserit, debeat restituere omnes Beneficii, vel Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; Qui vero matutinum tantum, dimidium illorum; Qui ceteras omnes horas, aliud dimidium; Qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. Tertio, quod qui Choro addictus praesens cum aliis sit in officio recitando, ipse tamen non recitet, quamvis praetendat lucrificasse fructus, & distributiones forte assignatas assistentibus sola praesentia, nihilomi.

I. Diximus in explicatione primi praeccepti Decalogi, Beneficarios omittendo aliquo die Horas Canonicas, vel partem notabilem illarum peccare mortaliter, & ad re-

minus hic etiam amittit fructus, & distributiones, & noverit se peccatum mortale commisisse. Quarto, quod qui primis sex mensibus officium non recitat, quamvis ad restitutionem fructuum non teneatur, sciat se peccatum mortale committere horas omitendo, nisi legitimo impedimento excusetur. Quinto, Pensionarius etiam, qui officium parvum Beatæ Virginis, ad quod tenetur, omisit, teneatur ad restitutionem, eodem modo ac Beneficiarius.

II. Infertur hinc primo, quod omittere Divinum officium ad nullam restitutionem teneatur, si nullos fructus percipit ob onus recitandi officium; nec peccet omitendo, nisi aliunde ad recitationem horarum teneatur.

Infertur secundo, non improbabiler docere Ledesm., & alios contra Sanch., & Less. cap. 34. num. 80., teneri ad restitutionem Beneficiarium, qui inculpabiliter officium omisit; Quamvis enim jure positivo ea poena imponatur omissioni culpabili, ut colligitur ex Bulla Pii V., at jure naturali non potest facere fructus Beneficii suos, posito, quod sub ea conditione dentur, quod officium recitetur; Nam datum ob causam non acquiritur, causa non subsecuta; & ideo dicimus non esse improbabile, quod inculpabiliter non recitantes teneantur ad restitutionem; Sed probabilior, & communior est sententia opposita docens; quod inculpabiliter omitentes recitationem horarum non teneantur ad restitutionem; quia fructus Beneficii non videntur dari, sicut datur pretium mercenariis pro opere diurno, sed dantur in sustentationem Beneficij sub onere, quod recitet horas; ita tamen, ut si citra culpam omitat, non teneatur ad restitutionem.

Infertur tertio, quod omitens ho-

die, verbi gratia, Divinum officium debeat restituere fructus uni diei respondentem, etiam si cras dicat officium hodiernum, & crastinum. Ratio est, quia jam non satisfecit præcepto recitandi officium hodie, & ideo tenetur ad poenam a Superiore impositam restitutionis faciendæ. Ita communiter contra Ledesm., Major., Paludan. apud Henr., quibus adhæret Suar. cap. 27. num. 5., & cap. 109. num. 11., Molfes. num. 17., Filiuc. cap. 10. quaest. 2. num. 307. putantes non teneri ad restitutionem, si suppleat alio die pensum horarum, aut compenset aliis piis operibus; quorum opinio censetur probabilis a Bonac. numer. 5.

Neque obstat, quod Cappellanus, qui ex onere Cappellania tenetur celebrare, liber sit ab onere restituendi, si alio die celebrat, siquidem jam rependit æquale. Nam disparitas est, quia onus celebrandi non est ita affixum diei, ut transeat cum ipso die, sicut transit onus recitandi officium; unde quamvis recitetur deinde officium prætermisum, non inde fit, quod possint percipi fructus, quos ipso facto amisit, quamvis æquale pensum rependat.

Infertur quarto, quod quamvis Cappellano, qui omisit die debito celebrare, debeat injungi, ut statim vel per se, vel per alium celebret; at Beneficiario, qui omisit recitare horas, non debet a Confessario injungi, ut statim illas recitet; Sicut ei, qui omisit die festo audire missam, non debet injungi, ut statim illam audiat, quia tale onus elapso die jam transiit. Neque dicas cum Paludan., Beneficiarium omitendo horas violare justitiam commutativam, quæ obligat tantum ad rependendum æquale. Nam elapso termino præfixo non potest amplius rependi æquale; verbi gratia elapso die Dominico potest quidem

dem recitari officium Dominicæ, sed non potest recitari officium die Dominico, ad quod ille tenebatur, & ideo fructus Beneficii illi diei respondentes non potest facere suos.

Infertur quinto, restitutionem hanc faciendam esse in conscientia ante sententiam iudicis, quia, ut diximus, fructus Beneficii non acquiruntur, nisi sub ea conditione, quod officium recitetur. Neque dicas, pœnam, quæ ad sui executionem requirit hominis actionem, non esse subeundam ante sententiam iudicis. Nam hoc fallit, quoties aliter constat de voluntate Legislatoris volentis pœnam incurri ante iudicis sententiam, & de facto declaravit Pius V., & constat ex thesi 20. proscrip̃ta ab Alex. VII. quæ habet: *Restitutio a Pio V. imposta Beneficiariis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.*

Infertur sexto, quod Beneficiarius omittens horas primis sex mensibus post obtentam possessionem Beneficii peccet quidem mortaliter, quia transgreditur in re gravi legem Ecclesiasticam, non teneatur tamen ad ullam restitutionem, neque ex lege positiva, ut constat ex dictis constitutionibus, neque ex lege naturali, ut docent communius cum Vasq. contra Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 29., Valent., & alios; Ratio est, quia Pontifex concedit etiam pro illis sex mensibus Beneficiario fructus Beneficii; etiam si officium non recitet, dum non obligat ad restitutionem.

III. Neque obstat, quod datum ob causam retineri non possit, causa non subsecuta; Beneficia autem dantur propter officium. Nam tunc id est verum, quando non constat de voluntate concedentis aliquid, etiam causa non subsecuta, ut de facto Pontifex non obligando primis sex mensibus ad restitutionem, concedit fructus Be-

neficii, etiam officio non recitato; Sicut famulis ex recepta consuetudine, & voluntate tacita dominorum conceditur salarium, etiam si aliquo die in debito famulatu deficiant: Cæterum præcisa hac voluntate Pontificis, quæ ex usu, & lege positiva constat, vera esset opinio opposita ex ratione adducta, quia scilicet omittens horas violat obligationem contractus, Deo, ut facias, & ex violatione iustitiæ oritur ex natura rei obligatio restituendi.

Infertur septimo cum Filiuc. contra Valent., quod si quis primis sex mensibus officium omittat, & iis elapsis adhuc illud omittat per aliquod tempus, puta per hebdomadam, debeat tantum restituere fructus respondentes tali hebdomadæ, non vero respondentes primis sex mensibus, quia Pius V., & Concilium Lateranense tollunt hanc obligationem.

IV. Rogabis primo, An omittens partem officii minorem, quam sit hora parva, debeat aliquid restituere?

Respondeo cum Tolet., Navar., quod omittens, verbi gratia, unum Psalmum, aut aliam partem minorem, quam unius horæ integræ, probabiliter non debeat aliquid restituere, etiam si fructus illi parti respondentes sint magnæ quantitatis. Ratio est, tum quia Pius V. solum obligat ad restitutionem, qui horam parvam integram omittit, tum etiam quia usus Ecclesiæ fert, ut Canonicis integræ distributiones conferantur, quamvis non semper inveniantur in Choro in principio officii.

Neque dicas: Quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem, ex lege *Quæ de tota, ff. De rei vindicatione*; Sed si totum officium una die omittatur, debent ex naturas rei, & ex lege positiva restitui omnes fructus respondentes uni diei; ergo si omittatur pars officii, restitui etiam de

debent fructus respondentes tali parti, itaut obligatio hæc sit gravis, si materia sit gravis. Nam sicut Pius V. eximit ab obligatione restitutionis, qui officium primis sex mensibus omittit, ita videtur eximendus ab eadem obligatione, qui omittit parvam officii partem, dum decernit Pontifex restituendam esse dimidietatem fructuum respondentium uni diei ab eo, qui omittit matutinum, vel ab eo, qui recitato matutino reliquas horas omittit, & sextam partem ab eo, qui omittit parvam horam. Non negaverim tamen, probabilem esse sententiam oppositam Bonac. putantis, quod Pius V. definiat restitutionis quantitatem pro singulis horis, ut quilibet sciat quid pro singulis, aut illarum partibus omisissis restituere debeat, non ut eximat illos, qui notabilem quantitatem alicujus horæ parvæ omittunt.

V. Rogabis secundo, An officium recitans sine attentione debita debeat fructus Beneficii restituere?

Respondeo cum communi contra Cordub., Tolet., Medin., & alios affirmative; quia ex cap. *Veniens, De Presbytero non baptizato*, idem est aliquid non facere, ac non facere recte quoad substantialia: Attentio autem est de substantia orationis; ergo si desit debita attentio, perinde est ac si officium non recitetur; & ideo consurgit onus restitutionis.

VI. Ex qua ratiocinatione sequitur, quod neque Canonicus possit distributiones recipere, si recitat in Choro officium sine debita attentione. Neque dicas, Trident. sess. 24. cap. 12. velle, ut distributiones recipiant ii, qui statutis horis interfuerint Choro, absentes vero iis careant, quavis collusionione, aut remissione exclusa; ergo sola præsentia videtur sufficere ad distributiones lucrandas. Nam Trident. vult, distributiones dari iis, qui intersunt Choro moraliter, non vero

etiam iis, qui in Choro verbi gratia dormiunt; Unde nisi aliud ferat consuetudo, vel institutio, non possunt distributiones recipi ab iis, qui recitant officium in Choro sine debita attentione; etenim non censetur præfens, qui non attendit: Quicquid in contrarium dicat Malder., Garz., & alii apud Bonac.: Quænam autem sit attentio requisita in recitatione horarum? expendimus in tractatu de Præceptis Decalogi agentes de Horis recitandis; ubi diximus probabiliter sufficere attentionem externam, supposito animo orandi, consistentem in eo, quod excludatur omnis actio externa incompossibilis cum interna attentione sive ad Deum, sive ad sensum verborum, & habeatur ad hæc virtualis quædam attentio, ut ibi explicavimus.

VII. Rogabis tertio, An excommunicatus si officium recitet, possit retinere fructus Beneficii, aut distributiones?

Respondeo, & dico primo, si Beneficium obtinuit, quando erat excommunicatus, cum collatio fuerit invalida, non potest fructus retinere; quare si excommunicatio esset occulta, quando Beneficium conferendum est, debet se alio titulo excusare; Quod si non possit sine sua infamia, debet deinde statim ac potest occulte dispensationem petere, & fructus interim perceptos restituere.

Dico secundo: Qui post Beneficium obtentum lapsus est in excommunicationem, non amittit fructus Beneficii, si suum munus præstet, & recitet officium. Ita fuse Kon. disp. 14. dub. 9. num. 80., Sanch. lib. 3. disp. 51. num. 12., Avil., & alii contra Suar. disp. 13. sect. 2., Filliuc., Reginald. Ratio est, quia quamvis in Cap. *Pastoralis* dicatur, quod huic fructus Beneficii subtrahantur, at hoc non significat privationem ipso facto, & ante sententiam judicis, ita ut ex-

com-

communicatus non faciat fructus Beneficii suos, etiamsi valide suum munus exercent; tum quia ex tractatu de legibus reus non tenetur sponte poenam subire, quando ad executionem poenae aliqua requiritur actio, nisi aliter constet de mente Legislatoris; tum etiam quia versamur in materia odiosa, quae mitius interpretanda est, quam fieri potest. Hinc fit, Cappellanum excommunicatum toleratum, (licet peccet celebrando) percipere posse sicut stipendium Missae, ita fructus Cappellaniae, aut Beneficii. Si tamen sit excommunicatus vitandus, non potest percipere omnes Beneficii fructus, quia ejus sacrificium, quamvis profit ex opere operato, tamen offertur nomine Christi Domini, at non prodest quoad valorem, quem habet Sacrificium ex parte Ecclesiae, ut docent communiter in de Censuris: Et idem dici potest de excommunicato vitando recitante officium in Choro, qui non videtur posse integras distributiones percipere, quia Divinum officium non videtur alteri prodesse, prout nomine Ecclesiae persolvitur, quia Ecclesia hunc repellit, & non vult per ipsum orare.

VIII. Dico tertio, Qui ob injustam excommunicationem, aut carcerem cogitur abesse a Choro, potest distributiones, & fructus Beneficii percipere. Ita Avil., Sà, Filliuc., & alii contra Ugolin., qui putat posse hunc repetere distributiones ab eo, qui injuste eum excommunicavit. Ratio conclusionis est, quia privatio distributionum est poena, quae non debet infligi sine culpa, & ob injustam alterius actionem; Unde sicut infirmus percipere potest distributiones, ita injuste excommunicatus. Idque verum est ex Petro Navar. contra Bonac., & Covar., etiamsi infirmus, & injuste excommunicatus ante infirmitatem, aut excommunicationem non consuevisset

Pars III.

assistere Divinis officiis; posset enim nunc mutata voluntate interesse.

IX. Dico quarto, Excommunicatus non assistens Choro non potest percipere distributiones, etiamsi per ipsum non stet, ne absolvatur. Ita Suar. disp. 13. sect. 2., & alii communius contra Ugolin., Henr., Sà. Ratio est, quia hic juste prohibetur non interesse Choro; ergo juste privatur distributionibus, dummodo tamen injuste, & per injuriam illi absolutio non denegatur.

Neque dicas, Qui dedit causam suae infirmitati, potest percipere distributiones respondententes tempori, quo in infirmitate detinetur, quia est legitime impeditus. Ergo etiam qui dedit causam suae excommunicationi, si per ipsum non stet, ne absolvatur; quia pariter est legitime impeditus; Disparitas enim est, quia quamvis culpabiliter aliquis aegrotaverit, tamen huic culpae non est imposita poena privationis distributionum, nam universim aegroti distributiones conceduntur; At culpae, cui est annexa excommunicatio, est pariter annexa poena privationis distributionum, quousque juste perseverat excommunicatio.

X. Rogabis quarto, An Beneficiarius omittens divinum officium, praeter onus restitutionis, contrahat aliam poenam?

Respondeo, contrahere etiam poenam privationis Beneficii, si post sex menses admonitus Beneficiarius officium recitare neglexerit; ut constat ex Lateranensi; Quare admonitio facienda est post sex menses; Sicut obligatio restitutionis est etiam post sex menses a possessione Beneficii; Ille autem dicitur negligere officium ad hunc effectum, ut possit Beneficio privari, qui intra quindecim dies saltem bis illud non recitat, ut notat Suar. tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 30. ex eodem Lateranensi.

C c

XI.

XI. Quæritur secundo; Cuiam faciendâ est restitutio fructuum Beneficii?

Respondeo; ex dictis faciendam esse fabricæ Beneficii, aut pauperibus. Et eadem est ratio de Pensionario; Quod tamen intelligendum est, dummodo aliud non ferat institutio Beneficii, aut consuetudo alicubi recepta.

Inferitur hinc primo, restitutionem fieri posse non solum in utilitatem Ecclesiæ Beneficii, sed etiam in utilitatem fabricæ domus Beneficii, in qua Beneficiarius habitat, aut in emendis, vel meliorandis agris, ut fructus in perpetuum augeantur, ut notat Vasq., & Suar. loc. cit; quia etiam hoc venit nomine fabricæ Beneficii.

Inferitur secundo, quod licet restitutio fieri possit pauperibus quibuscumque, sive sint loci, in quo Beneficium existit, sive alterius loci, quia Pontifex loquitur indefinite; dum dicitur fieri posse pauperibus, non tamen fieri potest in reparationem Ecclesiæ, aut bonorum alterius Beneficii, quia Pontifex vult faciendam esse restitutionem vel pauperibus; vel fabricæ ipsius Beneficii; quando tamen reparatio alterius fabricæ redundaret in utilitatem pauperum, qui in eo loco aluntur, tunc censeretur fieri pauperibus.

Inferitur tertio, posse restitutionem hanc fieri in celebrandis missis, aut aliis suffragiis offerendis pro defunctis; quia isti in Purgatorio sunt maxime egeni, unde apte veniunt nomine pauperum, ut notant Filliuc., & Suar. loc. cit.; dummodo aliud non ferat specialis institutio, aut municipalis consuetudo; aut aliud de voluntate Pontificis rationabiliter non præsumatur.

Dubium est primo, An si beneficiarius sit pauper, possit sibi applicare restitutionem faciendam pro horis omissis?

Respondeo affirmative cum Less., & aliis communiter; quia non debet esse deterioris conditionis aliis pauperibus; quamvis enim peccarit omittendo officium, tamen quia pauperibus dari debent fructus Beneficii, potest etiam ipse venire nomine pauperum, quia sic non tam ipse sibi, quam Pontifex per illum faceret elemosynam. Neque dicas hinc sequi, quod posset pauper in fraudem officium omittere, sciens, quod potest titulo paupertatis sibi retinere fructus Beneficii. Nam responderi potest, quod in tali casu non præsumatur velle Pontificem, quod possit sibi restitutionem applicare, eo quod fraus nulli patrocinari debeat; nisi forte Beneficiarius in gravi necessitate reperiatur, & pœnitentia ductus proponat in futurum emendationem.

XII. Dubium est secundo, An si pauperes, quibus faciendâ est restitutio, donent Beneficiario, quod restituendum est, possit iste titulo donationis retinere?

Respondeo cum Bonac., quod si remissionem obtineat a pauperibus, antequam tradat iis fructus Beneficii restituendos, non possit illos sibi retinere; quia pauperes, quibus fructus nondum traditi sunt, non habent jus ad illos certum, & in re, sed jus vagum pendens a voluntate Beneficiarii, ad quem spectat pauperis electio, cui restituatur; Et facta promissione uni illorum, hic habet solum jus ad rem ante traditionem, unde non potest remissionem facere illorum, quia non potest promissarius donare, nisi jus, quod habet promissarii; Jus autem promissarii relate ad illos fructus non facit promissarium dominum fructuum, unde non potest illos donare, aut condonare. Notat tamen Less. cap. 3. n. 16. ex lege positiva, non jure naturæ traditione rerum dominia acquiri, ex leg. *Traditionibus* 92. Cod. *De pactis*; quam-

quamvis excipiantur hæreditas, legatum rei Sacræ, donatio facta Civitatibus, & locis piis, Beneficio, &c., quorum jus in re, & quasi dominium per donationem, & acceptationem acquiritur: Quod si Beneficiarius tradiderit pauperi fructus restituendos, tunc certe liberum erit pauperi illos Beneficiario iterum tradere, & donare, dummodo talis donatio sit libera, & non meticulosa, nec cum pacto implicite inito inter Beneficiarium, & pauperem, quod ideo Beneficiarius eligat talem pauperem, quia hic est donaturus: deinde partem illorum eidem Beneficiario.

XIII. Quaritur tertio, An Beneficiarius restituere debeat omnes fructus Beneficii respondentes diebus, quibus omisit divinum officium, etiamsi alia onera Beneficii iis diebus impleverit? Verbi gratia, si Beneficium habeat curam animarum, ut est Episcopatus, & Parochia, & Episcopus, vel Parochus suum munus exerceant, & solum omittant recitare horas, possuntne retinere partem aliquam fructuum Beneficii ratione aliorum onerum, quibus satisfaciunt?

Respondeo, Azor., Valent., Suar. loc. cit. velle, quod omnes omnino fructus respondentes iis diebus, quibus officium prætermisum est, debeant restitui, quia Bulla indistincte loquitur, dum dicit absolute, & simpliciter restituendos esse omnes fructus pro iis diebus perceptos. Sed probabilis est sententia Less. cap. 34. dub. 32., Henr., Tolet., Sà, & aliorum putantium, Bullam posse aliquam interpretationem recipere, ita scilicet ut Beneficiarius omittens horas uno die, verbi gratia, non debeat omnes omnino fructus respondentes uni diei restituere, sed solum respondentes uni diei relate ad onus dumtaxat divini officii; Unde Episcopus, vel Parochus, si omittant uno die officium,

debeant restituere solum tertiam, vel quartam partem fructuum respondentium uni diei, retinendo alios ob alia onera proprio muneri annexa, quibus satisfaciunt; Canonici vero, alique habentes onus residendi debeant restituere, (ut putant aliqui contra Bonac.) dimidiam partem; habentes onera Cappellani debeant restituere dimidiam, vel tertiam partem; Beneficarii vero simplices debeant omnes fructus pro rata officii restituere. Ratio est, quia quando Beneficarii recipiunt fructus Beneficii, non solum pro recitatione horarum, sed etiam pro aliis oneribus, si istis satisfaciunt, non videtur rationabile, quod æque puniantur per omissionem horarum, ac Beneficarii simplices, qui nullum aliud onus sustinent; Nec est rationabile, quod æque puniantur, quando omittunt horas Beneficarii habentes alia onera, sive iis satisfaciunt, sive non; Unde præsumendum, quod Pontifex, dum dicit omittentem divinum officium debere omnes fructus restituere, nolit, quod restituantur nisi omnes fructus respondentes oneri divini officii, quousque non exprimat oppositum. Addit Henr., Beneficarium simplicem posse etiam aliquid sibi retinere propter onus gestandi habitum, & tonsuram, & vivendi caste, & observandi alia, quæ in jure præscribuntur, si huic oneri satisfaciatur. Hoc tamen merito non admittit Bonac., nam hæc onera sufficienter compensantur cum aliis privilegiis Beneficiorum.

XIV. Quaritur quarto, Quinam teneantur sub mortali, & sub onere restitutionis officium in Choro recitare? Respondeo, & dico primo, Clericos Ecclesiarum Collegiatarum, & Cathedralium obligari ad officium in Choro singulis diebus recitandum, nisi aliud ferat consuetudo, aut Ecclesie institutio, aut necessitas. Ita communiter

niter ex Cap. 1. De celebratione missarum: Quare ubi est consuetudo, vel Ecclesie institutio, ut aliquoties tantum in Choro officium persolvatur, non tenentur Clerici quotidie in Choro convenire; quando vero necessitas cogit, ut in alio loco extra Ecclesiam officium persolvatur, tunc licitum est de licentia Episcopi, quando ad ipsum aditus patet, alibi officium celebrare; quamvis si aliquando, verbi gratia, ob frigoris asperitatem officium in Sacristia caneretur sine Episcopi licentia, putat Bonac. Canonicos non esse privandos distributionibus, quia moraliter conferentur in Ecclesia recitasse; præsertim si ratione necessitatis per Episcopam facultas Episcopi præsumatur.

Dico secundo, Etiam Regulares Choro deputati, & Moniales tenentur, non quidem ex jure Canonico, sed ex suis regulis, aut consuetudinibus ad divinum officium in Choro celebrandum. Unde fit, gravius peccare Beneficiarios Choro addictos, si non intersint, quam Regulares, quia illi tenentur ex officio, atque adeo ex justitia, quæ ex genere obligat sub mortali; isti vero tenentur tantum ex vi regulæ, quæ ut plurimum non inducit obligationem sub mortali, sed tantum solet obligare Regulares sub pœna, quod officium privatim recitent, si Choro non intersint. Et obligatio sub gravi canendi in Choro afficit solum totam Communitatem religiosam, non singulos Regulares; nam, ut diximus cum de horis canonicis, Prælatus tenetur sub mortali curare, ne desit Chorus; & alii tunc solum tenerentur sub mortali, quando aliter Chorus non fieret. Utrum autem Moniales teneantur sub mortali ex vi consuetudinis privatim recitare horas, si Choro non intersint? Diximus in de Horis Canonicis teneri, ut fert communior, & verior opinio; quicquid

in contrarium sentiat Marchantius apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 7. & Less. putantes consuetudinem istam non obligare sub gravi.

Dubium tamen est, An Beneficiarii Choro addicti, & Canonici, si ad Chorum non accedant, sed privatim recitent, peccent tantum venialiter, an mortaliter?

Respondeo, peccare mortaliter per se loquendo, si ultra tempus a Tridentino permixtum notabiliter absint a Choro. Ita Filliuc., Vasq., Suar. lib. 4. de religione cap. 10. num. 7., & cap. 13. apud Bonac. contra Valent., Reginald., Cajet., & alios putantes peccare solum venialiter, quando eorum absentia non est causa, ut dimittatur, aut destruat Chorus; (ad quem constituendum saltem quatuor requiruntur) Ratio nostræ doctrinæ est a pari, quia Beneficiatus, qui privatim non recitat officium, peccat mortaliter; ergo etiam qui obligatus in Choro recitare, ibi non recitat; Et ratio a priori est, quia utraque est obligatio ex justitia, quæ per se graviter obligat; Beneficium enim Canonici datur, non solum ut officium recitent, sed etiam ut recitent in Choro. Immo Suar. loc. cit. addit, peccare mortaliter Canonicum, etiam si solum partem notabilem officii in Choro non recitet, quamvis habeat animum recitandi illam privatim; Quod tamen non ausim dicere; quia sicut Beneficiarius, qui per aliquot dies ultra tempus permixtum absit a loco suæ residentie, non peccat mortaliter, ita nec peccat mortaliter, qui per aliquot dies absit a Choro sine licentia, dummodo privatim officium recitet. Ratio autem doctrinæ est, quia præceptum divini officii est annexum diei, & Superior præcipiens officium respicit singulas recitationes per se ipsas, ut constat ex sensu communi Doctorum: Econtra Superior præcipiens

piens residentiam, & Chorum, respicit residentiam, & recitationem in Choro per totum annum; Unde si aliquot diebus Beneficiarius absit a Choro, aut non resideat, ratione parvitatibus materię non peccat mortaliter; Quod si absentia sit notabilis, sicut graviter peccat, qui ultra tempus a jure præscriptum notabiliter non residet in loco sui Beneficii, ita etiam peccat graviter, qui notabiliter absit a Choro, quandoquidem residentia in loco Beneficii idcirco præcipitur, ut possit Beneficiarius interesse divinis officii. Permittit autem Trident. sess. 24. cap. 12. obtinentibus dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones in Cathedralibus, aut Collegiatis, ut possint singulis annis per tres menses abesse; Et Sacra Congregatio declaravit, quod tempore absentię distributiones non acquirant, nec excusentur ulterius a residentia per hoc, quod consentiant in amissionem distributionum quotidianarum, sed hujusmodi puniendi sint. Immo ex cap. Clericus dist. 91. deponendus est, qui omittit officium in Choro, depositio autem cum sit pœna gravis, supponit gravem culpam.

Dico tertio, Episcopus, per se loquendo, non tenetur Choro interesse, ne festis quidem diebus. Ita Valent., Filliuc., Bonac. ex D. Th. 2. 2. quæst. 91. art. 2. contra Sylvest., Tabien., Navar. Ratio est, tum quia usu, & consuetudine ita introductum est; tum quia gravioribus negotiis ad jurisdictionem spectantibus, quæ Chori assistentiam non patiuntur, vacare debet. Quod spectat ad Parochos, deberent quidem ex vi juris antiqui in Parochialibus Ecclesiis publice divina officia persolvere singulis diebus, ut ostendit Bonac., sed a desuetudine in contrarium deobligantur.

Ex dictis sequitur, quod Canonici, & alii Choro deputati non solum te-

neantur Choro interesse, sed etiam canere, non quidem ut obligationi officii satisfaciant, nam si submissa voce recitent partem suam, & aliam audiant, satisfaciunt obligationi recitandi officium; sed canere debent, ut satisfaciant servitio Chori. Ratio est, quia redditus Ecclesiastici dantur Canonicis, ut cantent cum aliis, ex Clement. 1. De Celebratione Missarum: Ita Suar., Filliuc., Navar., Less. apud Bonac.; Unde fit, eos aliter non posse distributiones saltem integras percipere; quia Qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. Ubi notandum, obligationem recitandi officium in Choro esse personalem, ut est obligatio recitandi officium privatim, unde non potest per alium impleri, præcisa consuetudine in contrarium.

XV. Quod attinet ad restitutionem faciendam a Beneficiariis, qui non resident in loco sui Beneficii, quando ad id obligantur, abunde diximus in Opusc. De Beneficiis Ecclesiasticis qu. 3. art. 3. Summatim hic ea perstrinximus. Et sane fructus Beneficii a non residentibus restituendi sunt ante sententiam judicis, non quidem omnes, sed qui respondent oneri residentię. Sicut autem invalide, nedum illicite Pontifex in voto dispensaret sine causa; ita invalida est facultas non residendi sine justa causa, atque adeo in tali etiam casu restitutio facienda est. Episcopis Trident. sess. 23. cap. 1. facultatem concedit non residendi solum per duos, aut tres menses quotannis; Parochis vero per duos menses dumtaxat, sive simul, sive interrupte. Dubitatur, num Parochi, ut absint per bimestre, indigeant etiam licentia Episcopi? Sed hac in re standum consuetudini loci. Non est facienda isthac restitutio, si inculpabiliter non resideant; at facienda est si solum materialiter resideant, non inserviando Ecclesię.

clesiæ. Olim jure Canonico omnes Beneficarii ad residentiam obligabantur, de facto tamen vi consuetudinis contraria, exceptis Canonicatibus, & Dignitatibus, Beneficium simplex ad residentiam non obligat. Canonici autem, & Præbendati si absint a Choro ultra trimestre sibi permissum a Trident. sess. 24. cap. 12. sine legitima causa, communius apud Croix lib. 4. num. 876. docent, quod mortaliter peccent, & procul dubio tenentur ad restitutionem distributionum, & fructuum respondentium oneri residentiae. Fructuum autem istorum restitutio solum fieri potest in utilitatem fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci ipsius Beneficii; ubi restitutio ob omissionem horarum fieri potest pauperibus cuiuscumque loci, ac in utilitatem non

solum fabricæ Ecclesiæ, sed etiam Beneficii, aut in agris meliorandis, ut supra diximus; immo etiam in suffragium defunctorum. Potest tamen Episcopus iustis de causis cum Canonicis, & Præbendatis dispensare, ut diutius absint; præsertim ob studium Theologiæ, aut juris Canonici; & quidem per quinquennium. Sed ut per trimestre absint quotannis, licentia non requiritur, etiam si absint recreationis causa, dummodo distributiones non lucrentur; quas tamen luerantur, si ægritudinis causa non resideant; dummodo non causent sibi ægritudinem ea de causa, ut ad residentiam, & ad Chorum non teneantur. Sed non vacat ulterius hac in re immorari. Sit itaque annui pensæ (Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

A. M. D. G.,

ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

SYNO-